PARODIARUM
AD
HORATI
FLACCI MEL-
POMENEN

Variorum Auctorum, & argumenti varij

CENTURIA SECUNDA,

Collecta & edita studio

M. NATHANAELIS TILESII P.L.

Ad

NOBILEM & CLARIS.
DANIELEM RINDFLEISCH
BUCRETIUM
Patritium & Physicum
Uratisl.

Dominum ac Fautorem æternùm colendum.

LIPSIÆ,

ANNO M. DC. XIV.

HORATII FLACCI
Od. III. lib. IV.

QUem Tu, Melpomene, ſemel
Naſcentem placido lumine videris;
Illum non labor Iſthmius
Clarabit pugilem, non eqvus impiger
Curru ducet Achaico
Victorem, neque res bellica Deljis
Ornatum foljis Ducem,
Qvòd regum tumidas contuderit minas
Oſtendet Capitolio:
Sed, quæ Tibur, aquæ, fertile perfluunt,
Et ſpiſſæ nemorum comæ
Fingent Aeolio carmine nobilem.
Romæ principis urbium
Dignatur ſobolès inter amabiles
Vatum ponere me choros:
Et jam dente minùs mordeor invido.
O teſtudinis aureæ
Dulcem quæ ſtrepitum, Pieri, temperas!
O mutis quoque piſcibus
Donature cygnì, ſi libeat, ſonum!
Totum muneris hoc tui eſt,
Qvòd monſtror digito prætereuntium
Romanæ fidicen lyræ:
Qvòd ſpiro & placeo, ſi placeo, tuum eſt.

Parodiæ ad Odam Horatianam.

I.

Dedicatoria

Ad Nobiliß. & Excellentiß.

Dn. Danielem Bucretium Phil. & Med. Doctorem, Breslæ Protophysicum.

Qvam tu Melpomenen semel,
Clangentem calido pectore ceperis,
Illam non crisis invida
Avertet tenuem, non color advena
Sensu pellet adultero
Jejunam, neq; res morbida pharmacis
Instructum variis Virum,
Qvòd morbi validas respuerit minas,
Ostendet patientibus.
Sed qvi metra viri Flaccica diligunt,
Et plures melicûm lyræ,
Dicent Castalio nectare principem.
CUNRADI haut minimi tuûm
Evincunt Charites, inter amabiles
Hujus me esse etiam choros:
Et jam veste recens surgo parodica.
O cantaminis æmuli
Svaves qvi modulos, Bucreade, æstimas!
O cunctis qvoq; Vatibus
Oblature Tagi, si liceat, penum!
Totum muneris hoc tui est,
Qvòd cantor numeris phœbiloqventium
Odæ cultor Horatiæ:
Qvòd scribo, & placeo, (si placeo) tuum est.

M. Nathanaël Tilesius P. L.

II.

AD DEUM PATREM.

QVem tu, summe Pater, semel
Nascentem supero robore finxeris,
Illum non atomi leves
Conjungent validum, non Venus æstuans
Lecti sistet amoribus
Eductum, neq; nox congrua nexibus,
Formatum tenebris suis,
Qvòd vitæ parili prælia conferat,
Ostendet gravido toro:
Sed qvâ cuncta beas divite gratiâ,
Et qvo numine prævales,
Sistis me vegeto corpore vividum.
Jhôvæ qvi favor optimi
Dignatur Soboles inter amabiles
Terrâ ponere me satum:
Et jam plasma Dei gaudeo conditum.
O testatio lucida,
Flammas qvæ patriĳ pectoris eĳcis;
O ipsos qvoq; Barbaros
Edoctura animum, si cupiant, Dei!
Totum muneris hoc tui est,
Qvòd vivens hominum hinc annumeror gregi,
Ideæ specimen tuæ;
Qvòd spiro & vireo, qvi vigeo, tuum est,

M. Nathanaël Tilesius. P. L.

III. AD

III.

Ad Deum Filium.

Qvem tu, Christe Deus, semel
Conspersum roseo sangvine laveris,
Illum non Satanæ furor
Comprendet miserum, non violentiâ
Antrum ducet ad Orcinum,
Damnandum, neq; Mors cuspide saucians,
Nigrantes feret ad rogos,
Qvòd pœnas statuat crimine noxiis
Horrendis rationibus.
Sed qvæ morte tuâ est victima reddita,
Et lytron cruce præstitum,
Emundat vitijs turpia pectora.
Christi principis hostia
Dignatur socios inter Olympicos
Pignus ponere me suum.
Et jam plaga minùs me movet infera.
O Salvator amabilis,
Vitam qvi merito mî tribuis tuo!
O errantibus omnibus
Monstrature poli, si venient, fores!
Totum funeris hoc tui est
Qvòd pœnâ careo transgredientium,
Cœli delicium manens,
Qvòd salvor, redimor, nec pereo, tuum est.

M. Nathanaël Tilesius. P. L.

IV.

AD DEUM SPIRITUM SANCTUM.

QVem tu, Sancta Charis, semel
Lustratum fidei lumine rexeris,
Illum non nebulæ graves
Cæcabunt animo, non ratio labans.
Sensum ducet ad impium,
Credentem, neq; res crimine sordida,
Exclusum vitiis Virum,
Qvòd feces tetricas eluerit soli,
Adjunget pereuntibus.
Sed qvi vivificat Spiritus omnia,
Et templo rutilat sacro;
Lectum perpetuo fœdere suscipit.
Ardor flaminis illius
Dignatur superi Regis ad incolas
Civem scribere me novum.
Et jam lal e minùs damnor ab insitâ.
O spiraminis enthei
Auram quæ placidam desuper excitas!
O ipsis etiam Ethnicis
Donatura tuum, si libeat, jubar!
Totum luminis hoc tui est,
Quòd monstror digitis astra petentium,
Cœlestis sacra pars chori,
Quòd crimen metuo, quòd fugio, tuum est.

M. Nathanaël Tilesius. P. L.

V. AD

V.

AD DEI MISERICORDIAM.

QVem tu, Cœles Amor, tuo
Passum Adæ furias igne præusseris,
Illum non dubia Hæresis
Erronem qvatiet: non furor impius
Ausis dedet atrocibus
Infandum; neq; mens subdola moribus
Spectatum Angelicis diu,
Qvòd durâ tulerit sorte pedem retrò,
Demonstrabit Hypocritam.
Sed qvæ CHRISTON ovans concio prædicat,
Certa & Symbola Gratiæ
Flatu auctore dabunt justitiâ inclytum.
JOVÆ Ecclesiolæ Arbitri
Dignatur bonitas inter Olympicæ
Caulæ me munerare oves;
Et jam spe validâ possideo polum.
O de stirpe reâ tibi
Sanctum qvæ populum, Electio, separas!
O vanis qvoq; gentibus
Elargita Abrahæ, sic placuit, fidem!
Totum hoc auspicii est tui:
Qvòd solvor Stygio carcere sontium
Lytri justifici capax,
Qvòd sensim regenor, si regenor, tuum est.

Mel. Laubanus.

VI.

AD DEI JUSTICIAM.

QVem tu, Juste Deus, reum
Pœnæ Adamigeno crimine liqueris:
Illum haut enthea Veritas
Lustrabit docilem: non tonitru anea
Legis retrahet impiè
Peccantem; neq; vox mulsea gratiæ
Gazam Evangelicæ offerens,
Qvòd CHRISTI meritum ritè sibi applicet,
Consolabitur anxium.
Sed qvi corda Furor saxea prægravat,
Adfectataq; Cæcitas
Infleto arguerint crimine reprobum.
JUDAM degenerem exitus
Testatur tragicus inter olens pecus
Hædorum numerarier;
Et nunc igne nocens uritur infero.
O ira tua in impia.
Aestûs qvi rapidos, Jova, ita publicas!
O Adægeneri integro
Mandature, nisi condoleas, Styga!
Totum Iustitiæ hoc tuæ est,
Qvòd MOSIS PHARAO ad jussa ferociit
Pejus, spretor JOVÆ HERI:
Qvòd frendens periit, nam periit, tuum est.

Mel. Laubanus.

VII.

VII.

AD DEI PROVIDENTIAM.

QVem tu, Rex superûm, semel
Clauso Cœlicolûm scripseris in libro,
Illum nec Cereris Gener
Expunctum retrahet: nec vagus omnium
Error terrigenûm dabit
Pessum: nec sua delicta perenniter
Pœnis pressa seqvacibus,
Qvòd crebro monitus spreverit utiles,
Ostendet Stygio duci.
Sed qva Christiadum suscipit agmina,
Trini curia Numinis,
Reddet siderio sub duce nobilem.
Rerum præsidis omnium
Dignatur placidum me inter Olympicos
Gratis ponere subditos:
Et jam mente minus torqveor anxiâ.
O dives bonitas DEI,
Dulci qva sibi me fœdere glutinat!
O fastis qvoq; posteris
Donatura mihi, si libeat, fidem!
Totum gratia id est tua,
Qvòd lecto associor Cœlituum choro,
Regni dimidium tui.
Qvòd fido tibi, qvòd fido benè, id tuum est.

Joannes Lindnerus.

VIII.

AD DEUM PATREM.

QVem tu, magne Pater, ſcelus
Lugentem placido lumine reſpicis,
Illum non meriti labor
Clarabit proprii; non eqvus impiger
Virtutis ſolidæ evehet
Victorem; neq; ſors dextra ficulneis
Ornatum folijs, minas
Qvòd ditis tumidas contuderit, poli
Oſtendet Capitolio.
Sed qvæ corpus aqvæ penſile perfluunt
Nati purpureo tui
Mixtæ conſtituunt, ſangvine, nobilem.
CHRISTI (Principis & necis
Et vitæ) pia mors, ſufficiens λύτρον
Juſtis me ſociat choris:
Et jam dente minùs mordeor hoſtico.
O cordis miſerabilis
Mœſtos qui gemitûs, SPIRITUS, elicis!
O magni ſceleris reis
Donature Cygni, ſi doleant, nivem!
Totum muneris hoc tui eſt,
Quòd non in numero ſum pereuntium,
Solamen miſeri gregis,
Quòd ſpiro & placeo, ſi placeo, tuum eſt.

Barthol. Benckius Paſtor NamsL.

IX. AD

IX.

AD DEUM PATREM.

QVem tu, summe Parens, lue
    Infandâ placido lumine sublevas,
Illum non miserabilis
    Horrendæ rabies transadiget necis.
Non trux anxietas metu
    Perculsum rigido conficiet: neq;
Sors illum volucris pio
    Fixum dimoveat cardine, perfidis
Quamvis ictibus infremat.
    Sed, quæ sancta Deûm templa supervolat
Pax, & candida Sanitas
    Fingent ut senium ceu juvenis ferat.
JOVÆ summa benignitas
    Dignata est valido pectore sospitum,
Rursus jungere me choris:
    Nec jam corde magis supprimor anxio.
O Testudinis ardua
    Magnæ qui facilis climata temperas!
O lethi rigidam tuâ
    Compressure manu, quando libet, manum!
Totum hoc muneris est tui,
    Quòd salvis animi perfruor usibus.
Firmo corporis atrio:
    Quòd vivo & vigeo, summe Pater, tuum est.

Willichius Westhovius P. L.

X. AD

X.

AD DEUM PATREM.

QVem tu, JOVA PATER, ſemel
Naſcentem valido pollice finxeris:
Illum non dolor artuum
Diſſolvet vegetum; non ſcelus inſitum
Rhedâ ducet avernicâ
Perdendum: neq; mors livida falcibus
Demeſſum tetricis virum,
Qvòd cœcum nihili pendeat ad Chaos,
Privabit ſolido bono.
Sed, qvæ corda, Fides, mitia roborat,
Sacratusq; animi Vigor,
Reddent perpetuo tempore vividum.
Rivi principis amnium
Dignatur pia vis ponere me ſacras
Inter bis-genitûm choros:
Vires jamq; novi ſentio roboris.
O ſervaminis indigos
Dio qvi fluvio, Jova, refrigeras!
O ſanum qvoq; mortuis
Donature, velis ſi modò, anhelitum!
Totum muneris hoc tui eſt,
Qvòd ſpiro ſuperâ mentis origine
Forma forma cluens tuæ:
Qvòd ſpero, ac ſupero, nec pereo, tuum eſt.

Johannes Blaufus, Monſterb.

XI.

XI.

AD JESUM CHRISTUM SOSPITATOREM.

QVem Tu, CHRISTE, semel tuo
Purgatum vitijs sangvine laveris:
Illum non fera lex Dei
Terrebit pavidum: non Stygius draco
Diro tollet anhelitu
Damnatum: neq; mors obruet horrida
Clausum carcere aheneo,
Qvod carnis miseræ scæva patraverit.
Sed sancti meriti fides,
Et qvæ fonte salus vivifico fluit,
E pii fragmina corporis
Aeterno statuent culmine cœlitem.
Summi gratia Numinis
Dignatur geniorum inter amabiles
Sanctûm ponere me choros:
Et jam corde minùs torqveor anxio.
O cœlestis originis
Priscam qui faciem CHRISTE redintegras!
O ipsi qvoq; dæmoni
Concessure polo, si libeat, locum!
Totum muneris hoc tui est,
Qvòd scribor tabulis ritè perennibus
Hæres ætheris ardui:
Qvòd vivo atq; beor, namq; beor, tuum est.

Adamus Theodorus Siberus
Professor Viteberg.

XII.

XII.

AD CHRISTUM FONTEM VITÆ.

CUi tu cœlifluo semel
FONS ÆTERNE, sitim rore levaveris:
Illum non scaturigines
Mundanæ illicient, non Mareotici
Virtus ignipotens meri
Accendet cupidum, néve Melicmti
Dulcis, Nectaris, aut sapor,
Quo gaudere chorus fertur Olympicus,
Langventem adficiet magis:
Sed qvæ, CHRISTE, tuis deliciæ fluunt
Venâ divite rivulis,
Reddent salvificis haustibus ebrium.
JHOVÆ principis ætheris
Dignatur bonitas Fontis amabili
VITÆ tingere me vado,
Mundanaq; minùs jam stimulor siti.
O dulcedinis æviccæ
Plenos qui latices, FONS SACER, exhibes!
O vitam propè mortuis
Donature tuis, si cupiant, aquis!
Totum muneris est tui,
Quòd vivo in numero te sitientium,
Vitæ perpetis expetens:
Ex te quòd satior, dum sitio, tuum est.

Johannes Hubnerus Not. NamsL.

XIII. AD

XIII.

AD CHRISTUM IMMANUELEM.

Quem tu, ô Immanuel, ſemel
Viventem placido Numine rexeris:
Illum non Satanæ dolus
Deludet fatuum; non furor orbicus
Vinclis indet aheneis
Seductum; caro nec lubrica mollibus
Cæcatum illecebris virum.
Quòd ſe delitiis addiderit vagis,
Avertet ſuperûm domo.
Sed qui mæſta, Vigor, pectora ſublevat,
Et ſanctæ alituum manus,
Reddent difficili in tramite ſtrenuum.
Orci liminis horridi
Conantur lemures præcipiti gravis
Lapſûs ſiſtere me loco:
Et ductore magis nunc egeo bono.
O faſtigÿ Atlantici
Optatam qui aperis, Dux pie, januam!
O nobis quoq; territis
Te juncture, labet ne vaga mens, Deum!
Totum flaminis hoc tui eſt,
Quòd ſcando fidei vi ſtabili polum
Furva diſpiciens ſtygis,
Quòd ſpero, & vigeo, nil metuo, tuum eſt.

Johannes Blaufus Monſterb.

XIV.

XIV.

AD CHRISTUM HIEROSOLYMAM INGRESSUM.

QVem tu, CHRISTE, tibi semel
Palmari socium fœdere junxeris:
Illum non furor hosticus
Percellet trepidum; non procerum favor
Inviso abstrahet agmine
Elatum; neq; vis Cerberea abditis
Captum præstigiis, nigri,
Qvòd frondis virides respuerit comas,
Ostendet ducis atrio.
Sed, qvæ cœlica, epe, culmina personant,
Et virtus animi rata,
Inducent Solymis mœnibus hospitem.
Cœli principis ardui
Dignatur bonitas te comitantium
Interponere me gregem,
Et jam corde minùs carpo viam anxio.
O firmaminis enthei
Robur qui solidum, VICTOR OVANS, novas!
O cordi qvoq; territo
Depulsure gravem, si libeat, metum!
Totum muneris hoc tui est,
Qvòd cœtum effugio se cruciantium
Mentis pace fruens piæ:
Qvòd vivo, qvòd amor, teq; seqvor, tuum est.

Johannes Blausus Monsterb.

XV.

XV.

Ad Christum Crucifixum.

QVem tu, CHRISTE DEUS, ſemel
Triſtatum rigidâ ſub cruce videris:
Illum ſannio non procax
Terrebit pavidum; non Stygius furor
Fatis obruet aſperis
Relictum; neq; mens fracta periculis
Defunctum gravioribus,
Quòd ſpem voto avido paverit irritam,
Immittet Barathro horrido.
Sed, quem, præſes, Amor dat tuus optimum,
Cæleſtisq́; cohors plagæ,
Hoſtili facient impete librum.
Sortis ſæva volubilis
Contendit rabies fluctiſono improbi
Fati immergere me mari:
Tutelaq́; magis nunc egeo tuâ.
O ſolaminis optimi
Flumen qui liquidum, FONS SACER, exhibes!
O turbam qvoq; perditam,
Servature, roget ſi veniam, polo!
Totum muneris hoc tui eſt,
Quòd ſervor vigilis præſidio alitis
Cæli portio ſplendidi:
Quòd ſortem ſupero, ac ſub cruce ovo, tuũ eſt.

Johannes Blauſus Monſterb.

XVI.

AD DIABOLUM TENTATOREM.

QVem tu, trux Satana, semel
Tentatum rabidis ictibus urseris:
Illum non dubiæ vices
Jactabunt varium: non levis ambitus
Vanis ducet honoribus
Famosum; nec opes magnificæ, luto
Addictum rutilo virum,
Quòd sacram fidei respuerit facem,
Avellent grege cœlite.
Sed quæ sacra metum pagina dimovet,
Ardentesq; animi preces,
Præstabunt vegetis viribus inclutum:
Jovæ principis œvici
Dignatur suboles me socio loci
Securi addere cœtui:
Et nunc fraude minùs discrucior tuâ.
O tentaminis efferi
Nisûs, qui rigidos, sæve Draco, asperas!
O fido quoq; vertici
Non demture vel unum, ut libeat, pilum!
Totum muneris hoc DEI est,
Quòd tollor numero dispereuntium
Astûs temtor averníci:
Quòd vivo, & supero, si supero, Dei est.

Johannes Blaufus monsterb.

XVII. AD

XVII.

AD CHRISTUM DIABOLI VICTOREM.

QUem tu, NATE DEO, ſemel
Tentatum ſupero robore juveris:
Illum non iter avium
Seducet dubium; non timor anxius
Probroſa rapiet fugâ
Transverſum, neq; trux Tiſiphone rogis
Damnatum Phlegetontiis,
Quòd Ditis poſitas inciderit plagas
Flagris plectet atrocibus:
Sed, quæ celſum acies æthera pervolant,
Et fortes animi impetus,
Victrici ſtatuent Daphnide divitem.
Divinæ aura Faventiæ
Dignatur clypeo me impenetrabili
Sacri accingere dogmatis:
Inſultusq; minùs jam Satanæ moror.
O diſcriminis extimi
Sortem qui ancipitem, Rex Superûm, levas!
O mortis quoq; luridæ
Contuſure feras, ſi libeat, minas!
Totum roboris hoc tui eſt,
Quòd profligo fide celipetâ dolos,
Veſani vacuus metûs:
Quòd quæ parta tibi, palma mea eſt, tuum eſt.

Johannes Blauſus Monſterb.

XVIII.

Ad Christum De Resurrectione Carnis.

Quem Tu, CHRISTE DEUS, semel
Mortalem placidâ morte beaveris,
Illum non sopor avicus
Captabit socium: non humus arida
Tumba sistet in Orbicâ
Defunctum, neq; vis Orcica propriis
Damnatum vitiis reum,
Quòd Christi tabulas transierit pias,
Addicet Phlegethontidi.
Sed qui cuncta DEUS corpora suscitat,
Et sanctæ aligerûm manus,
Ducent purifico corpore vividum.
Jova principis ætheræ
Dignatur soboles, inter Olympicos
Cœli ponere me choros;
Et jam sorde minùs squalleo terreâ,
O spiraminis astrici,
Carnes qui putridas, CHRISTE, redintegras!
O brutis quoq; mortuis
Immissure animæ, si libeat, facem!
Totum Numinis hoc tui est,
Quòd scribor numero cœlicolentium
Astrata assecla Curiæ.
Quòd vivo, ut morior, nec morior, tuum est.

Balth. Exnerus de Hirschberga. P. C.

XIX. De

XIX.

De Æterna Felicitate.

QVem tu, Vita beans, ſemel
Hæredem niveâ ſede receperis:
Illum non dolor amplius
Vexabit miſerum, non ſtatus ægrior
Vitæ plurimus & labor
Præſentis, neq; mors pallida dentibus
Ridebit putridis, manus
Nec victas Satanas quòd dederit ſibi
Terrebit truculentiùs.
Sed quas æther AQVÆ continet igneus,
Et plures nitidæ faces
Fingent eximio carmine proſperum.
Cœli tegminis incolæ
Dignatur Cherubin inter amabiles
Cœtus ſcribere me ſuos.
Et jam ſorte minùs torqueor invidâ.
O felicior iſtius
Vita quæ ſtrepitum, gloris, terminas!
O noſtris quoq; mentibus
Deletura ſuas, ne noceant, lues!
Totum gratiæ id eſt tuæ
Quòd monſtror digito ſiderei chori
Sanctorum ſocius gregis,
Quòd vinco & tolero, quæ ſubeo, tuum eſt.

Nicol. Bockshammer Paſtor Prauſn.

XX.

AD ECCLESIAM.

QVem tu, DIVA PARENS, semel
Credentem gremio foveris in tuo:
Illum non dubiæ vices
Vexabunt miserum: non Satanæ dolus
Amplexu abripiet tuo
Elusum; neq; mens perfida sensibus
Suspensum ambiguis, aquæ,
Quòd mundi tetricas horruerit minas,
Ostendet Phlegetontiæ.
Sed, quæ sancta, phalanx, pectora protegit,
Et dius fidei vigor,
Reddent perpetuo tegmine vividum.
Summi principis ætheris
Dignatur suboles, de reprobo malæ
Partis tollere me grege:
Et jam sorte magis gaudeo prosperâ.
O fati cruciabilis
Fluctus quæ tumidos, Blandula, mitigas!
O cunctis tibi creditis
Concessura poli, dante DEO, bonum!
Totum præsidis hoc DEI est,
Quòd cœtûs socior pennigerûm pio
Adscitus tibi filius:
Quòd spero, quòd ovo, sicut ovo, tuum est.

Johannes Blaufus Monsterberg.

XXI. Ec-

XXI.

ECCLESIA AD CHRISTUM.

QVem tu, CHRISTE DEUS, semel
Impurum roseo sangvine laveris.
Illum non macula insita
Turpabit reprobum; non vetitum nefas
Infami inficiet lue
Spurcatum; neq; mens effera tristibus
Correptum furijs reum,
Quod nigro obsequium praestiterit Jovi,
Ostendet tetricae Stygi.
Sed, quae vivificat mors tua mortuos,
Et constans animi fides,
Attollent niveo pectore coelitem.
Aeterni Patris omnium
Dignatur bonitas me placidae sui
Vultûs reddere gratiae,
Et nunc labe minus polluor improbâ.
O gentis tibi credulae
Matrem qui immeritam sic, pie Rex, amas!
O latis quoq; sedibus
Illature poli, si libeat, malos!
Totum muneris hoc tui est
Quòd dulci celebror coelituum sono
Divi sponsa placens ducis:
Quòd sum grata Patri, quodq; beor, tuum est.

Johannes Blaufus Monsterb.

XXII.

Hominis Pii Vita et Felicitas. Ex Psalmo I.

Qvem Tu, summe DEUS, virum
Felicem placida sorte beaveris,
Illum non via lubrici
Ducet consilii, non iter impij
Cursu flectet in avia
Erroris, neq; grex pestifera tribûs
Sessorem cathedræ levis,
Quòd fas omne pium, juraq; rideat,
Vendet prætereuntibus.
Sed Legem DOMINI, qua melior via
Vitæ est, pectore sedulo
Volvet, Sol rutilet, noxvé diem premat.
Hunc cernas velut arborem,
Undæ quæ riguæ margine consita est,
Fundentem virides comas
Et fructus, folium cûiq; minus cadit.
O qui trutinis aurei
Justorum lapides, sensaq;, perspicis!
O genti quoq; perfidæ
Monstrature tuas, si redeat, vias!
Totum laudis id est tuæ,
Quòd vel tergeminis claret honoribus,
Palmæ munere nobili;
Quòd currit stadium, quodq; tenet, tuum est.

Christophorus à Staudenhertz.

XXIII. Ad

XXIII.

Ad Deum Ex Psalmo I.

Quem tu, JOVA DEUS, semel
Verbi nectario melle refeceris:
Illum non facies mali
Quassabit timidum; non gravis exitus
Prisco deyciet statu
Delusum; neq; Dis horridus ultimo
Actum judicio reum,
Quòd turpem scelerum triverit orbitum,
Abdet carcere squalido.
Sed quo flore penes palma vadum viret,
Aut Cedrus Libani ardua,
Reddes legitimo in munere prosperum.
Fati flamina turbidi
Certant sacrilegas instar in utilis
Glumæ perdere copias;
Et jam cœpta minùs perficiunt sua.
O conaminis impij
Dirum qui facinus, Maxime, reprimis!
O facis quoq; perditæ
Destructure vagam, si libeat, viam!
Totum muneris hoc tui est,
Quòd laudo sonitu te tenero lyræ
Voti compos amabilis:
Quòd vitam benè ago, si benè ago, tuum est.

Johannes Blaufus Monsterberg.

XXII.

HOMINIS PII VITA ET FELICITAS.
EX PSALMO I.

QVem Tu, summe DEUS, virum
Felicem placida sorte beaveris,
Illum non via lubrici
Ducet consilii, non iter impij
Cursu flectet in avia
Erroris, neq; grex pestifera tribûs
Sessorem cathedræ levis,
Quòd fas omne pium, juraq; rideat,
Vendet prætereuntibus.
Sed Legem DOMINI, quæ melior via
Vitæ est, pectore sedulo
Volvet, Sol rutilet, noxvé diem premat.
Hunc cernas velut arborem,
Undæ quæ riguæ margine consita est,
Fundentem virides comas
Et fructus, folium cûiq; minus cadit.
O qui tmmitis aurei
Justorum lapides, sensaq;, perspicis!
O genti quoq; perfidæ
Monstrature tuas, si redeat, vias!
Totum laudis id est tuæ,
Quòd vel tergeminis claret honoribus,
Palmæ munere nobili;
Quòd currit stadium, quodq; tenet, tuum est.

Christophorus à Staudenhertz.

XXIII. AD

XXIII.

AD DEUM EX PSALMO I.

QVem tu, JOVA DEUS, ſemel
Verbi nectario melle refeceris:
Illum non facies mali
Quaſſabit timidum; non gravis exitus
Priſco dejiciet ſtatu
Deluſum; neq; Dis horridus ultimo
Actum judicio reum,
Quòd turpem ſcelerum triverit orbitum,
Abdet carcere ſqualido.
Sed quo flore penes palma vadum viret,
Aut Cedrus Libani ardua,
Reddes legitimo in munere proſperum.
Fati flamina turbidi
Certant ſacrilegas inſtar in utilis
Glumæ perdere copias;
Et jam cœpta minùs perficiunt ſua.
O conaminis impij
Dirum qui facinus, Maxime, reprimis!
O facis quoq; perditæ
Deſtructure vagam, ſi libeat, viam!
Totum muneris hoc tui eſt,
Quòd laudo ſonitu te tenero lyræ
Voti compos amabilis:
Quòd vitam benè ago, ſi benè ago, tuum eſt.

Johannes Blauſus Monſterberg.

XXIV.

Ad Deum, ex Psalmo XCI.

Quem-tu-cunq; DEUS, semel
Fidentem patrio numine texeris.
Illum non fabrica hostium
Incautum perimet: non jaculum nocens
Phœbo proruet arduo
Securum: neq; vis morbida lugubri
Infectum sanie virum,
Quòd pleb sponè citâ densa cadat lue,
Imponet pheretro truci.
Sed, quæ cuncta manus condita dirigit,
Atq; alæ umbra tegens tuæ,
Defendent tetrico â turbine sospitem.
Pœnarum gregis impij
Obfirmat gravitas in tacito novæ
Mentis plaudere me sinu:
Et sic sorte minùs supprimor asperâ.
O custodia Olympica
Acres qui vigiles, provide Dux, locas!
O angustâ etiam in viâ
Directure pedum, ne titubent, gradus!
Totum tegminis hoc tui est
Quòd calco catulos indomitæ leæ
Hircanæ haut metuens feræ:
Quòd credo, & vigeo, nec doleo, tuum est.

Johannes Blausus Monsterb.

XXV.

XXV.

Filius Prodigus Ad Patrem.

Quem Tu, care PATER, procul
Natum degenerem videris anxium,
Illum non furor æstuans
Expellet reducem; non famulûm manus
Vinclis ducet ahenis
Constrictum; neq; mens fratris acerbior,
Indignis querimoniis,
Quòd rem perdiderit cum meretricibus,
Arcebit patrio lare.
Sed quæ gutta cadit lumine mox tuo,
Et pectus miserans, citis
Prævertent pedibus currere ad oscula:
Me nunc instar amatuli
Dignaris sobolis vestibus, annulo,
Et pingui vitulo, & choris;
Nec jam sorde magis squaleo pristinâ.
O sic temporis aurei
Festum qui strepitum & gaudia suscitas!
O brutis quoq; tristibus
Infusure domûs lætitiam tuæ!
Totum muneris hoc tui est,
Quòd me turba cupit visere civium,
Jamdudum propè mortuum;
Quòd vivo & saturor, quodq; beor, tuum est.

Christophorus à Staudenhertz.

XXVI.

XXVI.

FILIUS PRODIGUS AD PATREM.

QVem tu, CARE PATER, semel
Natum percupidâ mente receperis:
Illum non boni egentia
Affliget tenuem; squalida non fames
Victu exhauriet aspero
Pastum; quin neq; res paupera vestibus
Contectum laceris virum,
Quòd marsupij opes perdiderit datas,
Ostendet popularibus.
Sed, qui pectora Amor patria concitat,
Innatusq; animi favor,
Reddent gratuito munere divitem.
Lasciva petulantiæ
Ausa est nequities memet in efferos
Æris ponere prodigos:
Et jam pauperie supprimor improbâ.
O fœcundi operis soli
Multos qui famulos, Care parens, alis!
O mendico etiam indigo
Donature tuum, si veniat, cibum!
Totum muneris hoc tui est,
Quòd jungor numero luce fruentium
Mundanæ incola machinæ:
Quòd spirabo, nec hinc occidam, erit tuum.

Johannes Blaufus Monsterb.

XXVII.

XXVII.

Ad Angelos.

QVem tu, cœlica gens, ſemel
Viventem angelico pollice duxeris,
Illum non tremor Orbicus
Turbabit trepidum: non furor hoſticus
Boijs ducet ahencis
Captivum: neq; vis Orcina puppibus
Avectum Stygijs reum,
Quòd Ditis varias reſpuerit minas,
Adjunget Phlegethontiis.
Sed, quæ ſancta pios Numina protegunt,
Et caſtæ aligerûm manus,
Reddent æthcrio Numine cœlitem.
JOVÆ præſidis omnium
Dignatur Soboles inter, Olympicos
Cœli ponere me choros;
Et jam morte minùs terreor horridâ.
O muniminis aſtrici
Sanctos qui Juvenes, mi Deus, adjugas!
O Turcis ſimul impijs
Adjunctura poli, ſi libeat, manum!
Totum muneris hoc tui eſt,
Quòd ducor digitis aligeri chori
Cœleſtis ſocius throni:
Quòd credo, & ſupero, dum ſupero, tuum eſt.

Georgius Fabricius Secund. P. L. C.

XXVIII.

XXVIII.

Ad Mortem.

Quem tu, Morta potens, semel
Leni Christiadum funere merseris,
Illum non timor ob scelus
Damn[illegible]t reprobum, non Hydrus inferus
Vero ducet [illegible]ncluso
Errantem, neq; res Orbica mollibus
Umbratum folijs senem,
Quòd vatum monitûs respuerit, foro
Tramittet Phlegetontio.
Sed quæ pax animis nubila discutit
Et læti Superûm throni
Sistent Elysio perpete vividum.
Rerum præstitus omnium
Dignatur Soboles inter amabile
Hunc miscere Choragium:
Et non morte dehinc perditur alterâ.
O sublimius aurei
Secli quæ penetrat, Chara, mihi exhibes!
O nostris quoq; posteris
Reclusura poli, cùm libeat, domum!
Sanè muneris hoc tui est,
Quòd mens sarcinulis corporis impigrè
Sese effibulat; Ast DEO
Quòd fidit solidè, quodq; placet, DEI est.

Johan. Breitkor.

XXIX.

XXIX.
Ferendo Vinco.
Symbolum
DANIELIS RINDFLEISCH BUCRETII.

Quem tu, VIS PATIENTIÆ,
Constantem Herculeo pectore feceris;
Illum non labor arduus
Lassabit fragilem; nullus acerbior
Casus deÿciet gradu
Turbatum; neq; Mors horrida, spiculis
Terrens ritè volantibus,
Ut Regum tumidas nîl faciat minas,
Offendet trepidum metu.
Sed, quod robur adest, fortiter impetus
Evertet tolerantiâ,
Palmam, fronde comas cinctus, ut auferat.
Summi cardinis Arbiter
Dignatur scopulos inter aquatiles
Tutâ ponere me domo;
Sævo jamq; minùs concutior mari.
O mκros, PATIENTIA,
Nullo quæ crepitu sternis aheneos!
O agnis quoq; mitibus
Donatura Leæ magnanimum decus!
Totum muneris hoc tui est,
Quòd me prosequitur plebs bona cantibus,
Dignum perpete gloriâ,
Quòd Pæana fero, VICTOR ovans, tuum est.

Christophorus Staudenhertz.

XXX.

XXX.

FERENDO VINCO SCITUM.
DN. DANIELIS BUCRETI.

QVem Tu, VIS PATIENS, ſemel
Oppreſſum facili numine rexeris,
Illum non dolor improbus
Evincet dubium: non ſeries mali.
Caſu ſiſtet in anxio
Dejectum: neq; plebs hoſtica murmure
Correptum inſoluto Virum,
Quòd Jobi validam non ierit viam,
Damnabit truculentius.
Sed Mens ferre potens triſtia qualibet,
Et firmæ fidei Vigor
Fingent durifero pectore nobilem.
CHRISTI pacifici agnuli
Fecit mens tolerans, in patientia
Vincentum me agere & choris,
Et jam ſorte minus frangor ab aſpera.
O fortis TOLERANTIÆ
Omnes quæ faculas, MENS mea, contines!
O ſpiclis quoq; tetricis
Non ceſſura, dies quam veniet, necis!
Totum roboris hoc tui eſt,
Quòd dicor ſoboles vocibus omnium
Victricis PATIENTIÆ:
Quòd duro, & ſupero, (nam ſupero) tuum eſt.

Caſpar Cunradus. D.

XXXI.

XXXI.

NOVIT DEUS, QUI SINT SUI.

Symbolum

M. MELCHIORIS TILESII.

QVem tu, JOVA, tuum ſemel
Electum ſupero Codice noveris:
Illum fex nec originis
Culpabit reprobum: nec proprium malum
Curſu ducet in avio
Erronem: neq; lex horrida lurido
Mergendum barathro reum,
Quòd cœli roſeam perdiderit domum,
Oſtendet Cacodæmoni.
Sed quæ dia polo GRATIA fulgurat,
Et perpes MISERATIO
Scribent ætherij tegminis incolam.
NATI ſangvineum tui
Effecit meritum, ponè domeſticos
Cœli ponere me greges:
Et jam tela necis nil moror aſpera.
O claroris Olympici
Miras qui faculas, mi Pater, exſeris!
O ſævi quoq; Cerberi
Luſtrature nigrum, quam libeat, ſpecum!
Totum gratiæ id eſt tua,
Quòd mactor requie perpetuabili.
SANCTI nunc quota pars tui:
Quòd canto & colo te,(nam colo te,)tuum eſt.

Caſpar Cunradus. D.

XXXII.

DOMINI EST SALUS.

Symbolum

CASPARIS CUNRADI PHIL. & MED. D.

QVi Te, viva SALUS, semel
Credenti placidam lumine viderit,
Illum vana superbia
Non reddet tumidum, non equus impiger
Curru tardigrado vehet
Spectandum, neq; res splendida fulgidis
Ornatum trabeis Ducem,
Quòd fusas Libyæ verrerit areas,
Clarabit popularibus.
Sed quæ fonte fluunt Ismëlitico
Lymphæ, & vox Domini sacra,
Cœlesti facient munere divitem.
Regem & pontificem, DEI
Dignatur soboles inter amabiles
Regni ponere me choros;
Et jam mente magis gaudeo liberâ.
O Rex CHRISTE, hominum SALUS,
Sancto pii gemitus Flamine temperas!
O mundo quoq; perdito
Donatura tui, si libeat, famem!
Totum muneris hoc tui est,
Quòd signor digitis Angelici chori
Frontem stigmate nobili,
Quòd spero & taceo, nec jaceo, tuum est.

Christophorus à Staudenhertz.

XXXIII.

XXXIII.

DOMINI EST SALUS.

CASPARIS CUNRADI Phil. & Med. D. *Symbolum.*

QVem tu, DIA Charis, semel
Mortalem ætheriâ sede locaveris,
Illum non tetricus furor
Terrebit Satanæ: non vetitum nefas
Tristi subjiciet jugo
Devictum: neq; mors horrida nexibus
Constrictum gravioribus,
Quòd mellita dei dogmata temserit,
Imponet stygio rogo.
Sed quæ vera SALUS à DOMINO VENIT,
Et constans fidei Vigor,
Reddent ætherio flamine nobilem.
JOVÆ principis omnium
Dignatur soboles inter amabiles
Cœli ponere me choros,
Jamq; inferna minùs me rabies premit.
O dulcedinis Enthea,
Quam tu, æterna SALUS, concilias mihi!
O genti quoq; perfidæ
Donatura poli, si libeat, domos!
Totum muneris hoc tui est,
Quòd dicor stabili voce fidelium
Aulæ sidereæ incola,
Quòd vivo & placeo (nam placeo) tuum est.

Adamus Pripadlovius Bicinen.

XXXIV.

DOMINI EST SALUS.

QVem tu, DIA SALUS, semel
Fidentem stabili robore foveris,
Illum non Caro debilis
Percellet timidum: non furor Orcinus
Lapsu vincet Adamico
Pollutum, neq; mors livida propriis
Damnatum vitiis reum,
Quòd JOVÆ posità non steterit vià,
Adjunget furialibus,
Sed quæ celes opem Gratia destinat,
Et Nati meritum DEI
Effingent FIDEI munere divitem.
JOVÆ quæ DOMINI EST SALUS
Dignatur medios inter acinaces
Tuto ponere me loco:
Et jam quoq; minùs terreor impetu.
O formidinis horridæ
Omnes quæ gemitus, DIA SALUS, fugas!
O vili quoq; reptili
Succursum tuâ, si libeat, manu!
Totum numinis hoc tui est,
Quòd signor modulis Phœbi-colentium
Venturi domitor mali:
Quòd vinco & vigeo, ceu vigeo, tuum est.

Caspar Cunradus D.

XXXV.

XXXV.

CHRISTI ACQVIESCO SACRIFICIO.

Lemma Symbolicum

DN. CHRISTOPHORI A STAVDENHERTZ, de Cremnitz. Lib. Baronatus Milicienfis Cancellarii.

QVem tu, LAPSUS ADÆ, femel
Pollutum ftygiâ labe notaveris:
Illum non cruor hirceus
Mundabit vitijs; non fibra carnea
Ritu dicet Aronico
Salvatum: neq; thus nobile propriis
Adfertum meritis Virum,
Quòd culpæ ingenitas eluerit notas,
Iratoft.ituet Patri,
Sed quæ pafcuo OVIS celite prodiit,
Et fanctæ Cruor hoftiæ,
Reddent mortifero crimine liberum.
CHRISTI Victimæ Olympicæ
Dignatur bonitas, indigetes propè
Cœli ponere me fui:
Et jam non aliud folicito SACRUM.
O fuliginis inferæ
Turpes quæ maculas, VICTIMA, diluis!
O ipfis quoq; Tartaris
Allatam cygni, fi placeat, nives!
Totum SACRIFICI eft tui,
Quòd jungor numero labe carentium
Aeterni focius Boni:
Quòd mundus clueo (nam clueo) tuum eft.

Cafpar Cunradus D.

XXXVI.

CHRISTI ACQVIESCO SACRIFICIO.

QVem Tu, prime Parens, ſemel
Naſcentem tacito crimine pollues,
Illum non pecudum cruor
Purgabit maculis, non Aaronici
Ritus præſtiterint virum,
Perfectum; neq; Lex tota Moſaica,
Ornatum meritis ſuis,
Quòd culpæ rigidas diluerit minas,
Siſtet Juſticiæ DEI:
Sed qui, CHRISTE, tuo vulnere profluit
Sanguis, ſufficiens λύτρον,
Fingent gratuito munere ſoſpitem.
O ter Maxime Pontifex
Dignatur roſeâ tingere guttulâ
Cor mî vel pice nigrius.
Et fiam nitidâ candidior nive.
O ſanctiſſima victima,
Maſſæ quæ miſeræ crimina ſuſtines!
O ipſos quoq; reprobos
Amplexura tuo, ſi libeat, ſinu!
Totum gratiæ opus tuæ eſt,
Quòd mentis requiem colloco firmiter
In ſolâ crucis hoſtiâ,
Hanc præter cupio quodq; nihil, tuum eſt.

Chriſtophorus à Staudenhertz.

XXXVII.

XXXVII.

MEMENTO NOVISSIMORUM.

Symbolum

D.N. JOHANNIS BREITHORIS.

QVem vis Fatiferi Ducis
Viventem posito stamine ceperit,
Illum non labor insiti
Damnabit sceleris; non rubus æstuans,
Spinâ cordis abyssea
Transfiget: neq; lex aspera Dæmoni
Privatum radio boni,
Quòd vitæ positum transierit scopum,
Transmittet Phlegethontio.
Sed qui solvit avos compede sontica:
Et magno retulit Patri,
Reddet purpureo sangvine liberum.
Cœlo Præsidis omnium
Dignatur Soboles inter amabiles
Divûm ponere me choros:
Et jam morte minùs mordeor æviçâ.
O Mosaica debita
Vitâ quæ positâ Victima pensitas.
O multo quoq; fœnore
Donatura tui vi meriti polum.
Totum muneris hoc tui est,
Quòd liber valeo noctipotentium
Precaura requiem nece
Quòd credo, & cupio quod capiam, tuum est.

M. Johannes Brachmannus.

XXXVIII.

FIAT TUA CHRISTE VOLUNTAS.

Symbolum

DN. M. JOHANNIS BRACHMANI.

Quod tu, DIA VOLENTIA,
Decretum arbitrio cœlite dixeris,
Illud non Satanæ acritas
Mî reddet dubium: non crucis atritas
Ex corde ejiciet meo
Aeternùm: neq; vis ulla animum tuo
Firmatum auxilio meum,
Quòd temnat superæ puncta lubentiæ,
Ostendet reprobûm gregi:
Sed quòd sanctifico munere quoslibet
In cœlum cupis ingredi,
Servabit fidei robore me tibi.
Jovæ principis omnium
Dignatur Suboles inter amabiles
Divûm ponere me choros:
Hinc jam mente magis lætâ ego perfruor.
O dulcedinis aureæ
Nutum qui statuis, CHRISTE, beatulum!
O ipsis quoq; gentibus
Donature poli, nî renuant, domum!
Totum hoc arbitrij est tui,
Quòd sto legitimus codice cœlico,
Heres siderei Boni.
Quòd cœlum capio, ceu cupio, tuum est.

Johannes Heermannus. P. L. C.

XXXIX.

XXXIX.

CONTRA SPEM, IN SPEM.

Symbolum

M. NATHANAELIS TILESII P. L.

QVem Tu, justificans FIDES,
Electum stabili luce beaveris,
Illum non metus anxius
Pervertet trepidum, non dolor improbus
Cursu ducet in avia.
Devictum, neq; frons effera nequiter
Perfrictum & dubium Ducem,
Quòd CHRISTI tumidus respuerit dapes,
Ostendet gregis hostici.
Sed quæ SPES fidei fida pedissequa est,
Et cordis tolerantia.
Fingent polliciti fœdere competem.
ABRAMI gremio, DEI
Dignatur bonitas inter amabiles
Pòst me ponere filios,
Et jam nunc faciem conspicor eminus.
O virtutibus aureis
Quæ desiderium; SPES pia, temperas!
O pacem quoq; perfidis
Donatura animæ, ni renuant, novam!
Totum muneris hoc tui est,
SPEM CONTRA mihi quòd certa fides manet
IN SPEM non dubiam DEI;
Casus quodq; graves sustineo, tuum est.

Christophorus à Staudenhertz.

XL.
CONTRA SPEM IN SPEM.

Scitum

M. NATHANAELIS TILESI, P. C.

QVem tu, vivida SPES, semel
Instructum FIDEI caßide foveris:
Illum non labor irritus
SPEM CONTRA retrahet: non dolor anxium
Curis ludet edacibus
Langventem: neq; sors ferrea lubricis
Quassatum vicibus caput,
Quòd JOVÆ validam noluerit manum,
Ostendet melioribus.
Sed quæ culmine opes cœlite depluunt,
Et ditans benedictio,
Dicent indubio pectore credulum,
CHRISTI principis ætheris
Dignatur meritum, ponè fide ratos.
Ac spe ponere me suos:
Et nunc corde minus fluctuo labili.
O dulcedinis entheæ
Miram quæ faciem, SPES pia, jam tenes!
O ipsi quoq; dæmoni
Reclusure poli, te si habeat, fores!
Totum muneris hoc tui est,
IN SPEM quòd videor nitier omnibus
SPEM CONTRA, FIDEI manu:
Quòd persto & capio, quæ cupio, tuum est.

Caspar Cunradus. D.

XLI.

XLI.

QVID AGO.

Symbolum

DN. FLAMINII GASTONIS Ph. & Med. D.

QVem vitæ Quid Ago ſcopus
Currentem fragili tramite rexerit:
Illum non via lubrica
Tardabit teretem; non labor orbicus
Laurus franget adoreæ
Defeſſum: neq; fraus infera termino
Turbatos apinis pedes,
Quòd metæ poſitos reſpiciant gradus,
Avertet Cacodæ nonis,
Sed quæ nixa DEO regula dirigit,
Et felix ſtadii tholus,
Reddent ætherii ſideris incolam.
Rerum conditor omnium
Dignatur vigiles inter Olympicos
Aurâ ducere me ſacra,
Et jam calle minùs ceſpito labili.
O tentaminis enthei
Greſſus quæ dubios Gratia temperas!
O lapſo quoq; ſedibus
Donatura poli, ſi redeat, locum!
Totum muneris hoc tui eſt,
Quòd centro criticus prætereuntium
Immoto radius manet,
Quòd curro, & QVID AGO, ſi benè ago, tuũ eſt.

M. Johannes Brachmannus.

XLII.

XLII.

IHEHOVA FORTITUDO MEA.

Symbolum

DN. JACOBI GVNTHERI.

QVem tu, JHOVA DEUS, tuæ
Virtutis valido robore juveris:
Non illum furor abditus
Prosternit scelerum: non tenet inferus
Grassans ense satellitum
Imbellem; neq; mors fraudibus impijs
Deceptum Stygij minis,
Quòd fines fragili transiliit pede,
Perturbat Capitolij.
Sed quam sperat opem roboris enthei,
Et purus fidei vigor,
Reddunt mortifero pulvere liberum.
JHOVÆ tempora cœlicæ
Dignatur Soboles fronde triumphicâ
Laurus cingere mî polo:
Et nunc mole minùs deprimor hostium.
O tutaminis unici
JHOVAH vis solidè brachia roboras!
O laurum quoq; militi
Donature tuo, cùm moriar, mihi!
Totum roboris hoc tui est,
Quòd pulsis rabie convenientium
Illæsus maneo dolis:
Quòd vinco & moriens victor ero, tuum est.

M. Johannes Brachmannus.

XLIII.

XLIII.

ME CHRISTI VULNERA SANANT.

Symbolum

DN. BALTHASARIS NIGRINI, Bregâ-Sil.

QVem tu, Sancte Cruor, semel
Effluxus roseo vulnere sospitas:
Illum non dolor intimus
Occidet stabilem; non Draco mortifer
Ferro franget avernico
Langventem: neq; Lux anxia lugubri
Effractum tonitru reum,
Quòd Recti toties transierit vias
Tradet DIS furialibus.
Sed qui cuncta, PARENS, condita temperat,
Et fausti Alipedum greges,
Dicent purpureo sangvine vividum.
JESU principis orbium
Dignatur bonitas sangvineo meas
Rivo tollere noxias:
Et jam labe nihil torpeo sordidâ.
O purgaminis horridi
Omnes qui maculas, FONS SACER, eluis!
O fœdis quoq; Tartaris
Sublature animæ, si rogitent, luem!
Totum fluminis hoc tui est,
Quòd signor Triados pollice, purior
Electi socius chori,
Quòd PATRI placeo, ceu placeo, tuum est.

Johannes Heermannus P. L. C.

XLIV.

XLIV.

DEUS GAUDIUM SUGGERIT SINGULIS.

Symbolum

DAVIDIS GEORGII SCABINI Svibusiensis.

QVem tu, NATE DEO, semel
Mæstum lætitiæ rore rigaveris,
Illum non crucis acritas
Offendet pavidum: non stygius Charon
Cymbâ ducet avernicâ
Mærentem: neq; mors effera tetrico
Adjunctum lemurum gregi,
Quòd legis toties liquerit orbitam,
Sejunget numero pium.
Sed quod siderio provenit æthere
Famen pectoribus sedens,
Dicet mortifero crimine liberum.
JOVÆ præsidis omnium
Dignatur Soboles, inter amabiles
Divûm scribere me choros:
Et jam mente minus torqueor anxiâ.
O dulcedinis aureæ,
Quam tu, Christe Deus, lætitiam dabis!
O tristi quoq; pectori
Donature tuum, si libeat, bonum!
Totum muneris hoc tui est,
Quòd veri vocitor portio gaudii,
Momis nil remorantibus:
Quòd vivo atq; crucem non timeo, tuum est.

Fridericus Jenchius Svebus.

XLV.

XLV.

FERENDO VINCO.

Symbolum

DN. DANIELIS RINDFLEISCH Ph. & M.D.

QVem tu Dux PATIENTIA
Luctantem propriâ casside texeris:
Illum non crucis impetus
Occidet stabilem: non dolus invidi
Lingvæ ludet aculeis
Prostratum: neq; sors perpera perfidis
Quassatum jaculis virum,
Quòd natalitium devoveat diem,
Victum reddet homunculis.
Sed quicunq; Mares prælia viderint
Ac hostilia tormina,
Dicent Hectorio pectore nobilem.
Victricis Patientiæ
Dignatur gladius, fortis in ictibus
Tuto condere me loco.
Et sic pace magis floreo prosperâ.
O palmæ indubitabilis
Firmos quæ clypeos, Dux mea, porrigis!
O diræ quoq; Erinnyos
Oppressura truces, quando furit, minas!
Totum roboris hoc tui est,
Quòd seu Sol oritur, seu moritur, cluo
Luctis salvus in omnibus,
Quòd vinco & vireo, ceu vireo, tuum est.

Johannes Heermannus. P. L. C.

XLVI.

XLVI.

DOMINI EST SALUS.

Scitum

DN. CASPARIS CUNRADI Phil. & Med. D.

Quem tu, DIA SALUS, ſemel
Lapſum ſideriâ ſede beaveris:
Illum non ſcelus inditum
Damnabit nocuum: non ſtygis arbiter
Vinclis plectet aheneis
Conſtrictum: neq; mors ævica flebili
Impoſtum pheretro virum,
Quòd non-dignus agris vixerit aſtricis,
Mandabit cruciatibus.
Sed qui JOVA meris rorat amoribus,
Et gratæ ſuperum plagæ
Fingent juſticiæ munere præditum.
JOVÆ judicis omnium
Dignatur ſuboles inter Olympicos
Gratis ſcribere me choros.
Et jam vermè minùs langveó conſcio.
O æterna fidelibus
Cunctis qui referas, CHRISTE, habitacula!
O Turcas quoq; barbaros
Salvature tuo, ſi cupiant, lytro!
Totum hoc eſt meriti tui,
Qvòd ſcribor digito Flaminis enthei
Salvati comes agminis,
Qvòd poſt fata polos ingredior, tuum eſt.

Johannes Heermannus, P.L.C.

XLVII.

XLVII.

AD CHRISTUM HUMANI GENERIS MEDIATOREM.

QVem tu, CHRISTE Patris ΛΟΓΕ,
Langventem tremulo corde receperis,
Illum non tremor inferus
Terrebit profugum: non Satan impiger
Curru ducet averneo
Captivum: neq; mors pallida mortuis
Tectum graminibus virum,
Ejus quòd fuerit non sono obaudiens
Involvet tenebris soli.
Sed quæ roridæ aquæ nobile defluunt
Corpus CHRISTI, itidem cruor
Fingent aligerûm carmine cœlitem.
JESU CHRISTI amor Entheus
Dignatur proceres inter amatulos
Regni ponere me sui.
Et jam nil Satanam, nil vereor necem.
O JESU placidissime
Verbi qui radios cordi meo inseris!
O cordi quoq; saxeo
Collature tuum, ni venuat, bonum!
Hoc totum tui amoris est,
Quòd raptus Satanæ fraudibus evehar,
Nævis nil remorantibus,
Quòd cœli cluo pars, ceu clueo, tuum est.

Johannes Keppichius.

XLVIII.

Ad Deum Pro Artibus Liberalibus.

QVem tu, CUNCTIPOTENS, semel
Flagrantem placidis ignibus usseris:
Illum non Hecate potens
Effinget magicum; non seges eruta
Nimbis arguet excitis
Infestum; neq; vox Thessala Colchico
Gaudentem medicamine,
Quòd manes tumulis eliciat cavis,
Transmittet lemurum duci.
Sed, quæ dia, Erato, commoda porrigit,
Et sanctus studii labor,
Sistent Pierio vertice nobilem.
Summi præsidis artium
Dignatur favor, & memet Hyantium
Phœbi scribere militem.
Et Circæa minùs nunc amo carmina.
O diri medicaminis
Fraudem qui horrificam, Rex bone, diffuis!
O saga quoq; perfidæ
Donature pias, nî renuat, faces!
Totum fomitis hoc tui est,
Quòd sacrum sitio fontem Aganippidum,
Doctis deditus artibus:
Quòd disco, atq; te amo (rectè ô amem!) tuũ est.

Johannes Blaufus Monsterberg.

XLIX.

XLIX.

Ad Themiden.

Quem tu, diva THEMIS, semel
Discentem nomicis legibus auxeris,
Illum non Sophus hispitus
Aptabit socium, non Podalirino
Horto cernet in herbido
Lectorem; neqve res Musica Delphicis
Claratum foliis virum,
Quod rerum varias dispulerit strophas,
Ostendet Clario DEO.
Sed quod jura, forum, civica judicat,
Et sancti Eunomiæ lares,
Cernent juridico nomine nobilem.
Juris principis artium
Dignatur DEitas ponè RUDOLPHIOS
Aulæ ponere me viros;
Et jam lege magis recreor aureâ.
O clariminis aulici
Magnos quæ titulos, DIVA, redintegras!
O ipsos quoq; Barbaros
Edoctura Dicæ, si libeat, nomos!
Totum nominis hoc tui est,
Quòd scribor calamo jura-docentium
Astrææ comes entheæ,
Quòd jura enucleo, si enucleo, tuum est.

Balth. Exnerus de Hirschbergâ P. C.

L.

Ad Meditrinam.

Qvem tu, Pœonia incluta,
Langventem Medicis paveris esibus,
Non illi Atropos horrida,
Filum ruperit & cor, calor inditus
Non exsangve reliquerit
Enectum; neq; eum nausea fregerit
Concessis epulis frui,
Et quòd se Medicæ crediderit DEÆ,
Cor langvoribus obseret;
Sed quæ vis supero labitur æthere
Sese Pœoniæ ingerens,
Firmabit medicis corpora potibus.
Inventum celeberrimum,
Divina Panaces, nectareus liquor,
Humanis datum & usibus,
Dignatur miseris auxiliarier.
O vis Jatrica Enthea,
Quæ delapsa polo es Terricolûm ad bonum!
O cunctis malè habentibus
Monstratura tuum, si placeat, bonum!
Totum curæ erit hoc tuæ
Quòd symptomatibus non gravioribus
Lædor membra dolentia,
Quòd rectè valeo, cùm valeo, DEI est.

Johannes Keppichius.

LI. Ad

AD HIPPOCARTEM.

QVem tu Coë Machaonum
Lux & Dux, medicis foveris haustibus,
Illum nulla malignior
Pestis corripiet; febris acutior
Non invaserit illius
Nectum membra malo, nec diuturnior
Vis morbi hunc aboleverit:
Et quòd Pœoniæ nobili adhæserit
Tradet corda doloribus.
Sed divina fluunt quæ medicamina
Composta emerito ab Sene
Dicent incolumem corporis artubus.
Me Coï Panace aurea
Dignatur numero ritè-valentium
Conjunxisse suaviter,
Et jam veræ Hygies commoda sentio.
O Solaminis enthei
Morborum qui abigis, Dia Hygie, malum!
O Mortem patientibus
Extensure tuam, Coë diserte, opem!
Hoc doni atq; boni tui est,
Quòd sano valeam corpore perfrui
Morbis nil operantibus,
Quòd præscripta juvent me tua, id est Dei.

Johannes Keppichius.

LII.

AD LOGICEN P. RAMI.

QVem tu, FAX SOPHIÆ, semel
Argutum nitido lumine feceris;
Illum nec qua calumnia
Fumis decipiet; nec labor anxius
Seducet Phrygii in modum
Mæandri, neq; gens garrula candidis
Orbatum spolijs reum,
Quòd mentis dubias consuërit notas,
Ostendet Dialecticis;
Sed rerum varias quæ docet invicem
Inventrix habitudines,
Cinget flexanimi palmite nobilem.
Tu princeps sapientiæ
Dignator Logices tingere flammulâ
Pectus vel tenui meum;
Et jam luce tuâ dissero rectiùs.
O qui luminis aurei
Dispersos radios tramite temperas!
O cæcis quoq; barbaris
Donature Facis, si cupiant, jubar!
Totum muneris hoc tui est,
Quòd clarent digito prætereuntium
Germanæ Logices Sophi,
Illi quòd sapiunt, si sapiunt, tuum est.

Christophorus à Staudenhertz.

LIII.

LIII.

AD MUSICAM.

QVem tu, MUSICA ovans, semel,
Demulsum lepido carmine ceperis,
Illum non eqvus hinniens
Captabit stolidum; non uter horridus.
Nugis finget agrestibus
Dametam: neq; jus immeritum auribus
Punitum Arcadicis Midam,
Quòd blandæ modulos spreverit Atthidis,
Sistet ludificantibus.
Sed quæ docta mele pectora recreant,
Et svaves Citharæ modi,
Dicent harmonici pectinis æmulum.
Phœbi carminis auspicis
Allectat gravitas, suavisonos propè
Cantorum dare me greges,
Et jam nulla magis gaudia quærito.
O testudinis aureæ
Svaves quæ sonitûs, MUSICA, temperas!
O vano quoq; Coccyci
Lature Atthidicos, si liceat, modos!
Totum blanditiæ hoc tua est,
Quòd jungor sociis sæpè canentibus
Cantantis quoq; pars chori,
Quòd tecum recreo me, recreo ut, tuum est.

Caspar Cunradus. D.

LIV.

Ad Musicam.

QVem tu, Musica vox, ſemel
Turbatum lepido carmine mulſeris,
Illum non furor inquies
Anget ſolicitum; non dolor æſtuans
Curâ conficiet gravi,
Mœrentem; neq; ſors aſpera caſibus
Jactatum dubiis virum,
Quòd fatis animum ſubdiderit ſuum,
Oſtendet madidis genis.
Sed, qui grata modi gaudia conciunt,
Svavisq; harmoniæ tenor,
Flectent lætifico murmure torpidum.
Laudum regis Olympici
Impellit ſtudium me reſonabili
Cantantûm addere cœtui:
Et prædulce magis nunc meditor melos.
O flexus variabilis
Blandos quæ numeros auribus inſeris!
O mentes etiam efferas
Mollitura tuis, ſi libeat, ſonis!
Hoc dulcedinis eſt tuæ,
Qvòd gaudet modulis ſuave ſonantibus
Summi lecta cohors DEI,
Qvòd Pœana canens ſe reficit, tuum eſt.

Johannes Blaufus Monſterb.

LV.

Ex Orpheo Cassii Parmensis.

Quem Tu, aurata CHELYS, semel
Ludentem puerum ceperis Orphea,
Illum non sacra Bacchica
Ducent thyrsigerum, non Veneris doli
Mentita faciem trahent
Captivum, neq; mox sanguineus rubor,
Derisum innocuis jocis,
Si vox sit fidibus fors malè consona,
Offendet pueriliter.
Sed qui sudor eum tollit in ardua,
Nocturnumq; oleum, caput
Cingent perpetuæ frondis honoribus.
Phœbi principis incluti
Dignatur soboles (cantor amabilis)
Vatum jungere se choris,
Risu jamq; minùs læditur improbo.
O heros Rhodopeie
Tàm leni strepitu maxima concitans!
O Manes quoq; Carminis
Demulsure (viam hanc cum penetres) sono!
Ardor totus honestus est,
Quòd Musæ illecebris, perditus, inhias
Brutorum domitor potens,
Quòd silvas, fluvios, saxa trahis, lyræ est.

Christophorus à Staudenhertz.

LVI.

De Arione Methtymnæo.

Q Vem HEPTUNE tridentifer
Tu Vatem Siculo gurgite juveris,
Non hunc navita perfidus
Terrebit gladio; non pelagi furor
Fluctu merget aquatico
Ornatum; neq; vel belua faucibus
Exceptum gelidis, truci,
Quòd plectro tumidas mollierit minas,
Demittet barathro virum.
Sed qui instar jaculi conficit æquora
Delphin, Nereidum pecus,
Reddet littoribus mox equitem novum.
Princeps inde Corinthius
Dignatur reducem ponere pristino
Aulaï comitum loco;
Et jam prædo tuas nil metuit manus.
O qui terribilem maris
Exili strepitum pectine temperas!
O tetris quoq; bestiis
Donature animos, cùm placeat, pios!
Totum carminis hoc tui est,
Quòd clares numeris Phœbicolentium.
Lesboa Fidicen Lyræ;
Quòd vitam redimis, quodq; viges, tuum est.

Christophorus à Staudenhertz.

LVII.

LVII.

AD APOLLINEM.

Quem Tu, Phœbe Pater, semel
Cultorem Aonio fonte rigaveris;
Illum non moduli rudem
Suaves destituent; non sapientiæ
Divini ingenii potens
Relinquet; neq; nox cæca silentio,
Indignum titulis suis,
Quòd Musis levius contulerit decus,
Condet perpetuo virum.
Sed quæ sponte suâ carmina profluunt,
Et laurus decorans comam
Illustrem facient nobili adoreâ.
Custos Castalidum domûs
Dignator vigilem liminis infimi
Vatum ponere me chori;
Et jam mente minùs turgeo nesciâ.
Argutæ Fidicen lyræ,
Doctum qui sonitum pollice temperas!
O stultis quoq; graculis
Donature cycni, si libeat, melos!
Totum numinis hoc tui est,
Quòd terris resonant, quod penetrant polos
Vatum culta poëmata,
Hæc quòd morte carent, namq; carent, tuũ est.

Christophorus à Staudenhertz.

LVIII.

LVIII.

AD HORATIUM.

QVem Tu, Pindaricis modis
Odam Melpomenes, FLACCE, sonaveris;
Illum non fuga temporum
Delebit volucris; non furor hosticus
Flammis tradet edacibus
Perdendum; neq; dum Censio Delphicis
Orbatam foliis, nucem
Ceu cassam; referat quòd genium minus,
Obtundet Critico stylo.
Orbis sed Clarij quà patet ambitus,
Vatum, perpetuis, chori
Certabunt vegetam tollere laudibus.
Rarus carminis arbiter
Has tales, SCALIGER, sceptra tenentibus
Regnis proposuit lubens;
Hinc quòd culta nitet jam magis æmulis.
Romanæ Fidicen Lyræ,
Suaves qui modulos, FLACCE, redintegras!
O tandem strepero anseri
Donature cycni, sic recinent, sonum!
Totum Melpomenes tua est
Quòd lusum numeri canto parodici,
Pertentans digitis Lyram;
Has per delicias si placeam, tuum est.

Christophorus à Staudenhertz.

LIX.

LIX.

Ad Paulum Melissum Poëticam Monarcham,
Pro Laurea Poetica.

Quam tu, PAULE MELISSIDOS,
Frontem LAUREOLA contigeris tuâ:
Illam non pede barbaro
Livor prosubiget; non fuga serior
Annorum innumeralium
Turpabit: digito nec Crisis acrior
Converso stolidum, absonis
Quòd passim maculis polluerit mele,
Ridendam dabit omnibus.
Sed quæ metra Deæ mollia suggerunt,
Et constans procerum favor
Clarabunt vario carmine nobilem.
Cyrrhæ & Phocidos ô potens
Dignare INDIGES ô si mereor, sacris
Præcinctum folijs choros
Me poni Aonios inter Apollinis.
O conaminis inclytum
Longi quæ precium LAUREA dividis!
O quæsita diu, tuâ
Frontem fronde precor cinge meam volens!
Totum doni erit hoc tui
Quòd passim celebris postmodò inaudiam
Artis Cultor Hyantiæ;
Quòd scribam atq; cluam, si cluam, erit tuum.

Mel. Laubanus.

LX.

LVIII.

Ad Horatium

Quem Tu, Pindaricis modis
Odam Melpomenes, FLACCE, sonaveris;
Illum non fuga temporum
Delebit volucris; non furor hosticus
Flammis tradet edacibus
Perdendum; neq; dum Censio Delphicis
Orbatam foliis, nucem
Ceu cassam; referat quòd genium minus,
Obtundet Critico stylo.
Orbis sed Clarii quâ patet ambitus,
Vatum, perpetuis, chori
Certabunt vegetam tollere laudibus.
Rarus carminis arbiter
Has tales, SCALIGER, sceptra tenentibus
Regnis proposuit lubens;
Hinc quòd culta nitet jam magis æmulis.
Romanæ Fidicen Lyræ,
Suaves qui modulos, FLACCE, redintegras!
O tandem strepero anseri
Donature cycni, sic recinent, sonum!
Totum Melpomenes tuæ est
Quòd lusum numeri canto parodici,
Pertentans digitis Lyram;
Has per delicias si placeam, tuum est.

Christophorus à Staudenhertz.

LIX.

LIX.

AD PAULUM MELISSUM Poëticam Monarcham,
PRO LAUREA POETICA.

Quam tu, PAULE MELISSIDOS,
Frontem LAUREOLA contigeris tuâ:
Illam non pede barbaro
Livor prosubiget; non fuga serior
Annorum innumeralium
Turpabit: digito nec Crisis acrior
Converso stolidum, absonis
Quòd passim maculis polluerit mele,
Ridendam dabit omnibus.
Sed quæ metra Deæ mollia suggerunt,
Et constans procerum favor
Clarabunt vario carmine nobilem.
Cyrrhæ & Phocidos ô potens
Dignare INDIGES ô si mereor, sacris
Præcinctum foliis choros
Me poni Aonios inter Apollinis.
O conaminis inclytum
Longi quæ precium LAUREA dividis!
O quæsita diu, tuâ
Frontem fronde precor cinge meam volens!
Totum doni erit hoc tui
Quòd passim celebris postmodò inaudiam
Artis Cultor Hyantiæ;
Quòd scribam atq; cluam, si cluam, erit tuum.

Mel. Laubanus.

LX.

AD EBERHARDUM à WEIHE J. U. D. PROFESSOREM Witebergensem & Consiliarium Saxonicum.

QVem tu, Diva THEMI, aureâ
Arridens genito, lance probaveris;
Illum non furor entheus
Vatem corripiet: non Genius celer
Ducet per vaga sidera
Lymphatum; neq; vis herbida Delphicis
Nuptam laureolis comas,
Quòd telum properæ contuderit necis,
Ostendet Patriæ Patri,
Sed quæ JUS tabulæ fertile continent,
Civili sapientiâ
Reddent conspicuum, & JUSTITIÆ arbitrum.
AUGUSTI Ducis incluta
Dignatur Suboles me legere intimum
Patrum in concilium sibi:
Quamvis sic variâ mole magis premar.
O testudinis arduæ
Dulcem qui strepitum Numine temperas!
O imis quoq; manibus
Donature, DEUS, si libeat, polum!
Totum Numinis hoc tui est,
Quòd sedes procerum tollor in editas,
Quòd Cor principis audio,
Quòd tantum sapio, quod supero, tuum est.

Albertus Voitus Poëticæ Professor Viteberg.

LXI.

AD DEUM PRO DN. MELCHI. ECCARDO, Pastore & Superintendente Olsnens. Ducatus dignissimo, calculo laborante.

QVem tu, Nate DEO, semel
Vexatum valido compede fregeris,
Illum non medicamina
Sanabunt medicum, non Epidaurius
Clarâ Paeoniâ dabit
Firmatum solidè, justa diætaque
Sanum corpore fecerit,
Præscriptis medicum quod fuit obsequens
Solvet debilitatibus,
Sed quod de supero, fertile profluit
Cæli culmine pharmacum
Sanatum referet pectoribus virum.
PATRIS Regis Olympici
Dignatur SUBOLES, debilitantium
Membris ponere me choro.
Jamq; haut illecebris raptor ab insitis.
O solaminis aurei
Morbos quis stabiles, NATE DEI, amoves!
O durum quoq; calculum
Amoture tuâ, si libeat, manu!
Totum muneris hoc tui est
Quòd solvor subitis, voce, doloribus
Docturus meâ oves tuas,
Quòd vivo, & doceo, atq; ut doceam, tuum est.

Johannes Keppichius, P. L.

LXII.

LXII.

Ad Deum pro incolumitate Dn. Flaminii Gastonis. P. & M. D. Physici Gurawiensis, post pestem sub finem Anni cIↃ. IↃ. CVII. grassatam.

QVem Tu, JOVA Hygies Sator
Munitum antidoti munere texeris;
Illum non furor hosticus
ContagI perimet; non bubo pestilens
Febrili rapiet lue
Exsangvem; neq; sors Nausea, Paoni
Aequalem, Hippocrati aut Virum,
Quòd diræ insidijs contra-ëat luis,
Tabo pectora polluet:
Sed quæ Vis superûm surgit ab hortulis,
Camporum suboli indita,
Dicet cœlifluo munere sospitem.
Te Gastonem Hygies Ducem
Gratamur numero à peste superstitem
Conjunxisse benigniter.
Et jam is corde vigens vota vovet tibi.
O solaminis ævici,
Qui afflictos fidei, JOVA, bono levas!
O jam tabe ruentibus
Suffecture HYGIES, si hanc inhient, opem!
Totum gratiæ id est tuæ
Quòd plures necat ut Mors fera, plurimos
Eduxit reduces nece:
Quòd ipse & superest, ceu superest, tuum est.

M. Joannes Mollerus. P. L.

LXIII.

LXIII.

AD DN. CASPAR. CUNRADUM, DE STELLA VENERIS in M. C. nativitatis ipsius principali Magisterii significatrice.

Hem, cui clara VENUS facem
Nascenti placido lumine duxerit;
Hunc nec falciferi Vepres
Musas impediunt: nec furor indolem
Mentis turbine summovet
Contorso: neq; lis Martia fœnore
Jactatum rigido Virum,
Quòd Regum tumidas provocitet minas,
Despondet Capitolio;
Sed qui docta Viri carmina concinunt,
Et totus Charitum chorus
Dicunt Aonio flamine divitem.
Bresla principis urbium
Sic, CUNRADE, Patres te vegetâ vident
Vatum vincere laureâ:
Et vix dente potens lædier invido.
O testudinis aureæ
Dulcem qui strepitum carmine succinis!
O diro quoq; carceri
Hôc facture levem, cùm libeat, modum!
Hoc munus VENERIS tuæ est,
Quòd doctûm celebris laudibus emicas,
Naturaq; bonum hoc genit:
Totum, hinc quodq; micas, quando micas, Dei est.

M. Jacobus Guntherus Med. NamsL.

LXIV.

LXIV.

Ad Dn. Casparem Cunradum Ph. & Med. D. P. L. C.

Cui CUNRADIADE, semel
Cantanti cupido pectore faveris:
Illum haut dens petulantior
Mordebit pavidum; non jocus acrior
Linguâ incesset avernicâ
Taxatum; neq; fex improba turpibus
Exceptum juvenem probris,
Invito quòd epos fingat Apolline,
Infamabit inaniis.
Sed, quo nigra, nitor nubila disijcis,
Musarumq; faventia,
Reddent vipereo scommati liberum.
Flacci principis Odici
Urget Melpomene me tenues meæ
Venæ prodere ineptias:
Etjam voce minùs persono conditâ.
O claraminis ardui
Dono qui triplici, splendide Vir, micas!
O nostris quoq; Musulis
Adjecture tuo lumine gratiam!
Totum nominis hoc tui est,
Quòd risu haut moveor ludificantium
Musæ fautor Horatiæ:
Quòd fingo & placeo, si placeo, tuum est.

Johannes Blaufus Monsterb.

LXV.

LXV.

AD DN. M. JACOBUM SCHICKFUSIUM, RECTOREM in Illustri Bregéo, & Institutionum Imperial. Professorem.

QVem SCHICKFUSIADE semel
Vatem magnifico pectore amaveris;
Illum non homo lividus
Dissjunget proprium; non locus exterus
Nexu solvet amabili
Unitum; neq; rès paupera saxiis
Jactatum scopulis Virum,
Quòd macrà loculus langvërit phthisi,
Expunget Fidii libro:
Sed qui tanta, DEUS, fœdem conjugat,
Et perpes Fidei fides,
Clangent ævigeno fomite prosperum.
Montis fax Heliconii
Gestit Calliope cordis in intimos
Clari claudere me Lares:
Et jam blanda magis sentio fæmina.
O melliginis optumæ
Trinas qui Charitas, magne Vir, exprimis!
O Pupis quoq; parvulis,
Oblature tuam, si rogitent, psychen!
Totum pectoris hoc tui est,
Quòd dicor labiis BREGESILESIIS,
Cor SCHICKFUSIADÆ placens:
Quòd te plus veneror, quàm reliquos, tuũ est.

Johannes Heermannus P. L. C.

LXVI.

CL. DN. HENRICUS SCULTETUS JC. JOHANNIS-HULRICI Schaff-Gotsch, L. B. Ephorus, iter ingressurus

παρῳδῶν.

QVem tu, nobile ITER, semel
Illectum vario climate duxeris,
Illum non Patria optima
Tardabit residem; non focus algidus
Luxu pascet Apicio
Lurconem; neq; vis Cypria basiis
Detentum cupidis procum,
Quòd Psyches calidas maluerit faces,
Ostendet melioribus.
Sed quæ regna, plagæ, splendida dividunt,
Et mores hominum cati;
Sistent Dulichio nomine divitem.
GOTSCHII sangvinis incluti
Impellit genius, ponè Viantium
Claras quærere me manus:
Et nunc sede minùs gaudeo patriâ.
O testudinis orbicæ
Terras quòd varias, nobile ITER, doces!
O claudis quoq; cruribus
Immissurum agiles, si liceat, gradus!
Totum hoc illicij est tui,
Quòd monstror digitis obviam euntium.
Externi cupidus soli:
Quòd vado, & video, dissita quæ, tuum est.

Caspar Cunradus. D.

LXVII.

LXVII.

VER ANNI NOBILISSIMUM.

Quam Tu, VER tepidum, semel
Tellurem placidâ foveris aurulâ,
Illam non Boreæ rigor
Torrebit gelidam; non Canis ignifer
Exuret radijs siti
Hiscentem; neq; grus advena marcidis
Nudatum foliis plagam,
Quòd matris gravidæ non tumeant sinus,
Clanget vix habitabilem.
Verùm qui imber aquæ fertilis irrigat,
Phœbi & lætificæ vices,
Pingent florigero gramine nobilem.
Anni principium novi
Atlantis soboles mandet amabilis,
Vernum ponere cardinem;
Etsi Jane bifrons oribus infremas.
O spiraminis aurei
Fecundos Zephyros, Sol nove, temperans!
O vires quoq; cautibus
Donature Soli, si juvet, altiles!
Totum muneris hoc tui est,
Quòd cingor violis Pieridum chori,
Dum pulso Aoniam lyram,
Quòd blandâ recreor temperie, tuum est.

Christophorus à Staudenhertz.

LXVIII.

DE ELUVIONE CATTI ANNI MDCVIII. IV. Non. Jun.

QVem tu, CATTE furens, ſemel
Deprenſum tumido gurgite merſeris,
Illum non peritia
Nandi reſtituet, non labor impiger
Ripis ſiſtet in herbidis
Emerſum, neq; ſpes credula lubrico
Juxta ſubſidio viri,
Quem fluctûs prohibent inſuperabiles,
Menti proderit anxiæ:
Sed quæ unda horriſona labitur impete,
Et ſecum rapit omnia,
Luctantem ſubiget funere lugubri.
JOVÆ larga benignitas
Servat, quos libitum eſt, ac rapidis potens
Multos eripit ex vadis,
Et jam mente magis fidimus huic piâ,
O formidinis anxiæ.
Spes qui prætrepidas erigis in malis,
O hauſtos quoq; gurgite
Servare incolumes, ſi placitum, potens,
Totum muneris eſt tui
Quòd formido minùs ſæva pericula,
Fretus cœlite gratiâ,
Quòd vito, & fugio, CATTE nefas, tuum eſt.

M. Daniel Vechnerus Aurimontanus.

LXIX.

De Captivitate Turcica.

QVem Tu, Turca ferox, semel
Captivum, validâ compede traxeris,
Illum non suus incola
Offendet reducem; non socia integra
Lecto ardebit amabili
Consortem; neq; Res-publica commodis
Devinctum Patriis virum,
Quod Turci varias respuerit minas,
Adducet patriæ suæ.
Sed quòd Turca fretum mænia præluit,
Et Boiæ Catulianæ,
Stringent Tartareis funibus avicum,
TESCHINII Ducis ELYSII
Dignatur gravitas ponè domesticum
FILII ponere me latus;
Et jam fuste nihil vapulo Turcico.
O pacaminis aurei
Dulcem qui requiem, mi DEUS, auctitas!
O sevis quoq; Tartaris
Ingessure ovium, si libeat, caput!
Totum præsidii hoc tui est,
Quòd servor Genio pacificantium,
TESCHINÆI Ephorus Ducis;
Quòd vivo, & doceo, ceu doceo, tuum est.

Balth. Exnerus de Hirschberga, P. L.

LXX.

Ad Olsnam.

Quem Tu, OLSNA decus, semel,
Terræ SLESIACÆ, foveris in sinu,
Illum nulla gravamina,
Seducent stabilem; non dolus improbus
Morsu rodet iniquiùs
Delatum, neq; res bellica lapsibus
Detrudet gravibus virum,
Quòd præscripta Ducem spreverit horrida,
Damnabunt capitaliter,
Sed qui de rutilo lapsus AMOR polo est,
Celsi principis & fides
Dicent perpetuo nomine liberum.
OLSNA Urbs principis incluti
Dignatur clario jungere me choro
Informando Scholasticos.
Et jam mente bonâ vivo qvietiùs.
O dulcedinis inditæ
Cunctis qui patulâ, ô OLSNA mea, aure ades!
O cunctis quoq; SLESIIS
Donature tuam, si libeat, quiem!
Totum muneris hoc tui est,
Quòd monstror digito scire-volentium
Præceptor patriæ Scholæ.
Quòd dextrè doceo, si doceo, DEI est.

Johannes Keppichius, P. C. L.

LXXI.

LXXI.
Secundis Nuptis
M. ABR. SCULTETI CUM CATHARINA, GUILIEL. RHODINGI J. U. D. & Consiliarii Elector. Palat. Viduâ.

Quem tu, mitis Hymen, semel
Sponsum in connubii fœdera miseris,
Illum non focus alsior
Macrabit gracilem; non Venus effera
Flaminis uret adulteris
Scortantem; neq; mors invida luctibus
Enectum viduis Virum,
Quòd primùm thalami perdiderit fidem,
Avertet sociâ alterâ.
Sed quæ copulam opis connubialem alunt,
Et gratæ superis preces
Transscribent alijs denuò amoribus.
Laus, ABRAME, RHODINGIDOS
Persvasit Viduæ, rursum Hymenejos
Sponsum ducere te choros.
Et jam præ CATHARI fles CATHARIN minùs.
O absinthia lectuli
Mutas qui vidui saccharo; Amor, novo!
O cano quoq; vertici
Concessure hilares, si libeat, jocos!
Totum gratiæ id est tuæ,
Quòd SCULTETUS ovat post querulos dies
Sponsus Conjugis alteræ;
Quòd lætus benè agit, quòd benè aget, tuum est.

Mel. Laubanus.

LXXII.

M. MATTH. WEINTRIT, ITERUM SPONSO.

Quam tute, Oenotribe, semel
Nubentem thalami compete strinxeris;
Illam non procus ambitor
In nassam illiciet; non plagiarius
Curru ducet adultero
Furtivam; neq; se tegmine Laico
Velatum rapuisse vi
Jactabit scelerum lerna cuculliger
Ostensam monialibus.
Sed quoscunq; toro compare junxerit
Auspex conjugij DEUS
Mors tantum poterit vellere ab invicem,
Junctos vinclo adamantino.
Nescit quam Deitas copula nexuit
Solvi viribus ullius,
Seu tentet Venus id, seu puer aliger.
O quæ sic duo, Castitas,
Unis in socio corpora lectulo!
O si sic viduos bees,
Qui strato peragunt tempora cælibe!
Totum muneris hoc tui est;
Quòd tædis faveant Numina Conjugum,
Odit spurcitiem DEUS:
Quòd conjux placeam, ceu placeo, tuum est.

M. Melchior Tilesius.

LXXIII.

LXXIII.

CHRISTIANA TILESIA SPONSA AD CASPAREM CUNRADUM SPONSUM.

QUam Tu, CHRISTIADEN, semel
CASPAR, legitimo fœdere junxeris;
Illam non amor improbus
Torrebit juvenum: non dolus effera
Sagæ fraudibus abstrahet
Incautam: neq; vis maxuma langvidæ
Fractam sollicitudinis,
Quòd te sors variis obruerit malis;
Dissolvet socio toro.
Sed quæ connubij jus decorat, fides,
Et vitæ tenor integræ,
Reddet sidereo numine nobilem.
Regis cœlicolûm domus
Dignatur bonitas, inter amabiles
Nuptarum indere me choros,
Et jam me stimulat fax pia conjugis.
O dulcedinis intimæ
Quam, Tu SPONSE, meo pectore concitas!
O pro te quoq; amabile
Objectura caput, si libeat, neci!
Totum muneris hoc tui est,
Quòd me lingva vocat prætereuntium
CUNRADI sociam tori.
Quòd te ardenter amo, nam redamor, tuũ est.

Adamus Pripadlovius Bicin.

LXXIV.

LXXIV.

NUPTIS JOAN. RHEDENI & ANNÆ CLODWIGIÆ. Sponsus ad Cupidinem.

Cui tu, Sæve puer, semel
Ardenti jaculo pectora foderis:
Illum non medicus labor
Sanum restituet; non sonitus lyræ
Plausus ducet in intimos
Tristatum; neq; vis Phœbica Daphnide
Ornatum Clariâ Virum,
Quòd se compositis exhilaret metris,
Ostendat jugo Hyantio.
Sed, quæ bina, Venus, corcula conjugat,
Optatæq; tori faces,
Servabunt valido robore præditum.
STRELÆ jaspidis urbium
Detrectat suboles inter amatulos
Ægrum ponere me procos;
Diro jamq; magis vulnere torqueor.
O stridentis arundinis
Flammantem qui aciem, Præpes amor, regis!
O matris quoq; Cypridis
Transfossure calens, si libeat, jecur!
Totum missilis hoc tui est,
Quòd votis cupio pharmaca mollibus
Crudis saucius ictibus:
Quòd pallesco, & amo, (namq; amo) id est tuũ.

Johannes Blaufus Monsterb.

LXXV.

LXXV.

JOAN. RHEDERUS SPONSUS AD ANNAM CLODWIGIAM SPONSAM.

QVem tu, SPONSA Nitens, semel
Aegrum blandidulo lumine videris,
Illum non vehemens dolor
Franget molliculum; non furor intimus
Castis ponet ab ignibus
Sejunctum; neq; plaga aspera cuspide
Percussum Idaliâ procum,
Quòd tedæ ancipitem non teneat moram,
Lassabit querimoniis.
Sed, quæ forma faces suscitat igneas,
Et dotes animi sacræ;
Addent legitimum mox tibi conjugem.
MONSTERBERGA Silesidos
Dignatur vetus urbs inter amatulum
Ultrò ponere me gregem:
Diro jamq; minùs vulnere torqueor.
O optabilis horulæ
Quæ disiderium, Sponsa, redintegras!
O gratis quoq; pharmacis
Sanatura meum, si libeat, jecur!
Totum gratiæ id est tuæ,
Quòd sistor validi roboris augmine
Sperati cupidus tori:
Quòd servor; quòd amor, (nam redamas) tuũ est.

Johannes Blaufus Monsterb.

LXXVI.

LXXVI.

EROTICON.

QVem tu, dulce decus, semel
Devinctum placido lumine ceperis;
Illum non Amor igneus
Laxabit temerè, non Venus improba
Curru vulgivago vehet
Flagrantem; neq; res metrica Deliis
Ornatum foliis comam,
Dum sic indomitis carpitur ignibus
Vatem tollet in æthera:
Sed quæ blanda labris rapta philemata
Admittet roseis Dea
Langventis penetrant pectoris intima.
Dulcis Chrysonidum Charis
Dignata immeritum est inter amabiles
Vatem ponere me procos.
Et jam ardente magis torreor ab face.
O dulcedinis igneæ,
Quæ curas teneras indomitum cies!
O bardos quoq; amiculos
Afflatura tuâ, si libeat, face!
Totum luminis est tui,
Quòd lentis penitus maceror ignibus
Forma deditus aureæ:
Quòd flammâ peredor, ceu peredor, tuum est.

M. Daniel Vechnerus Aurimontanus.

LXXVII.

MXXVII.

CHRISTIANA TILESIA.D.D. CASP.CUNRADI CONJUX PUERPERA AD LUCINAM.

Quam tu, JUNO potens, ſemel
Prægnantem Jovio pollice juveris,
Illam non labor anxius
Præſſabit gravidam; non tenerum embryon
Duro urgebit abortio
Matricem; neq; nex invida ſarcinis
Exemtam gravibus nurum,
Quòd prolis vegetum reddiderit caput,
Includet gelidæ ſcrobi.
Sed qui Patris amor, CHRISTIAS, eſt ſatus,
Et pulcræ ſobolis comæ,
Scribent prolifero corpore nobilem.
BRESLÆ principis Urbium
Dignatur ſoboles inter amabiles
Matrum ponere me choros:
Et jam prole magis clareo proſatâ.
O propaginis uberis
Vivos quæ Genios, Juno Dea, excipis!
O ſaxis quoq; grandibus
Exauctura uteri, ſi libeat, ſatum!
Totum hoc auxilij tui eſt,
Quòd jungor numero parturientium.
CHRISTIANI genitrix mei:
Quòd vivo & pario, ceu pario, tuum eſt.

Balth. Exnerus de Hirſchberga. P.C.

LXXVIII.

LXVI.

CL. DN. HENRICUS SCULTETUS JC. JOHANNIS-HULRICI Schaff-Gotsch, L. B. Ephorus, iter ingressurus

παρωδῶν.

QVem tu, nobile ITER, semel
Illectum vario climate duxeris,
Illum non Patria optima
Tardabit residem; non focus algidus
Luxu pascet Apicio
Lurconem; neq; vis Cypria basiis
Detentum cupidis procum,
Quòd Psyches calidas maluerit faces,
Ostendet melioribus.
Sed quæ regna, plagæ, splendida dividunt,
Et mores hominum cati;
Sistent Dulichio nomine divitem.
GOTSCHII sangvinis incluti
Impellit genius, ponè Viantium
Claras quærere me manus:
Et nunc sede minùs gaudeo patriâ.
O testudinis orbicæ
Terras quòd varias, nobile ITER, doces!
O claudis quoq; cruribus
Immissurum agiles, si liceat, gradus!
Totum hoc illicij est tui,
Quòd monstror digitis obviam euntium.
Externi cupidus soli:
Quòd vado, & video, dissita quæ, tuum est.

Caspar Cunradus. D.

LXVII.

LXVII.

VER ANNI NOBILISSIMUM.

Quam Tu, VER tepidum, semel
Tellurem placidâ foveris aurulâ,
Illam non Boreæ rigor
Torrebit gelidam; non Canis ignifer
Exuret radijs siti
Hiscentem; neq; grus advena marcidis
Nudatum foliis plagam,
Quòd matris gravidæ non tumeant sinus,
Clanget vix habitabilem.
Verùm qui imber aquæ fertilis irrigat,
Phœbi & lætificæ vices,
Pingent florigero gramine nobilem.
Anni principium novi
Atlantis soboles mandet amabilis,
Vernum ponere cardinem;
Etsi Jane bifrons oribus infremas.
O spiraminis aurei
Fecundos Zephyros, Sol nove, temperans!
O vires quoq; cautibus
Donature Soli, si juvet, altiles!
Totum muneris hoc tui est,
Quòd cingor violis Pieridum chori,
Dum pulso Aoniam lyram,
Quòd blandâ recreor temperie, tuum est.

Christophorus à Staudenhertz.

LXVIII.

De Eluvione Catti Anni MDCVIII. IV. Non. Jun.

Quem tu, CATTE furens, semel
Deprensum tumido gurgite merseris,
Illum non peritia
Nandi restituet, non labor impiger.
Ripis sistet in herbidis
Emersum, neque spes credula lubrico
Juxta subsidio viri,
Quem fluctûs prohibent insuperabiles,
Menti proderit anxiæ:
Sed qua unda horrisono labitur impete,
Et secum rapit omnia,
Luctantem subiget funere lugubri.
JOVÆ larga benignitas
Servat, quos libitum est, ac rapidis potens
Multos eripit ex vadis,
Et jam mente magis fidimus huic piæ.
O formidinis anxiæ.
Spes qui prætrepidas erigis in malis,
O haustos quoque gurgite
Servare incolumes, si placitum, potens,
Totum muneris est tui
Quòd formido minùs sæva pericula.
Fretus cœlite gratia,
Quòd vito, & fugio, CATTE nefas, tuum est.

M. Daniel Vechnerus Aurimontanus.

LXIX.

DE CAPTIVITATE TURCICA.

QVem Tu, Turca ferox, semel
Captivum, validâ compete traxeris,
Illum non suus incola
Offendet reducem; non socia integra.
Lecto ardebit amabili
Consortem; neq; Res-publica commodis
Devinctum Patriis virum,
Quod Turci varias respuerit minas,
Adducet patriæ suæ.
Sed quòd Turca fretum mœnia præluit,
Et Boiæ Catuli anea,
Stringent Tartareis funibus avicum,
TESCHINII Ducis ELYSII
Dignatur gravitas ponè domesticum
FILII ponere me latus;
Et jam fuste nihil vapulo Turcico.
O pacaminis aurei
Dulcem qui requiem, mi DEUS, auctitas!
O sævis quoq; Tartaris
Ingessure ovium, si libeat, caput!
Totum præsidii hoc tui est,
Quòd servor Genio pacificantium,
TESCHINÆI Ephorus Ducis;
Quòd vivo, & doceo, ceu doceo, tuum est.

Balth. Exnerus de Hirschberga, P. L.

LXX.

Ad Olsnam.

QVem Tu, OLSNA decus, semel,
Terra SLESIACÆ, foveris in sinu,
Illum nulla gravamina,
Seducent stabilem; non dolus improbus
Morsu rodet iniquiùs
Delatum, neq; res bellica lapsibus
Detrudet gravibus virum,
Quòd præscripta Ducem spreverit horrida,
Damnabunt capitaliter,
Sed qui de rutilo lapsus AMOR polo est,
Celsi principis & fides
Dicent perpetuo nomine liberum.
OLSNA Urbs principis incluti
Dignatur clario jungere me choro
Informando Scholasticos.
Et jam mente bonâ vivo qvietiùs.
O dulcedinis inditæ
Cunctis qui patulâ, ô OLSNA mea, aure ades!
O cunctis quoq; SLESIIS
Donature tuam, si libeat, quiem!
Totum muneris hoc tui est,
Quòd monstror digito scire-volentium
Præceptor patriæ Scholæ.
Quòd dextrè doceo, si doceo, DEI est.

Johannes Keppichius, P. C. L.

LXXI.

LXXI.

Secundis Nuptls
M. ABR. SCULTETI CUM CATHARINA, GUILIEL. RHODINGI J. U.D. & Consiliarl Elector. Palat. Viduâ.

QVem tu, mitis Hymen, semel
Sponsum in connubii fœdera miseris,
Illum non focus alsior
Macrabit gracilem; non Venus effera
Flaminis uret adulteris
Scortantem; neq; mors invida luctibus
Enectum viduis Virum,
Quòd primùm thalami perdiderit fidem,
Avertet sociâ alterâ.
Sed quæ copulam opis connubialem alunt,
Et gratæ superis preces
Transscribent alijs denuò amoribus.
Laus, ABRAME, RHODINGIDOS
Persvasit Viduæ, rursum Hymenejos
Sponsum ducere te choros.
Et jam præ CATHARI fles CATHARIN minùs.
O absinthia lectuli
Mutas qui vidui sacchare; Amor, novo!
O cano quoq; vertici
Concessure hilares, si libeat, jocos!
Totum gratiæ id est tuæ,
Quòd SCULTETUS ovat post querulos dies
Sponsus Conjugis alteræ;
Quòd lætus benè agit, quòd benè aget, tuum est.

Mel. Laubanus.

LXXII.

M. MATTH. WEINTRIT, ITERUM SPONSO.

Quam tute, Oenotribe, semel
Nubentem thalami compete strinxeris;
Illam non procus ambitor
In nassam illiciet; non plagiarius
Curru ducet adultero
Furtivam; neq; se tegmine Laico
Velatum rapuisse vi
Jactabit scelerum lerna cuculliger
Ostensam monialibus.
Sed quoscunq; toro compare junxerit
Auspex conjugij DEUS
Mors tantum poterit vellere ab invicem
Junctos vinclo adamantino.
Nescit quam Deitas copula nexuit
Solvi viribus ullius,
Seu tentet Venus id, seu puer aliger.
O qua sic duo, Castitas,
Unis in socio corpora lectulo!
O si sic viduos bees,
Qui strato peragunt tempora caelibe!
Totum muneris hoc tui est,
Quòd tadis faveant Numina Conjugum.
Odit spurcitiem DEUS:
Quòd conjux placeam, ceu placeo, tuum est.

M. Melchior Tilesius.

LXXIII.

LXXIII.

Christiana Tilesia Sponsa Ad Casparem Cunradum Sponsum.

Quam Tu, CHRISTIADEN, semel
CASPAR, legitimo fœdere junxeris;
Illam non amor improbus
Torrebit juvenum: non dolus effera
Sagæ fraudibus abstrahet
Incautam: neq; vis maxuma langvida
Fractam sollicitudinis,
Quòd te sors variis obruerit malis,
Dissolvet socio toro.
Sed quæ connubij jus decorat, fides,
Et vitæ tenor integræ,
Reddet sidereo numine nobilem.
Regis cælicolûm domus
Dignatur bonitas, inter amabiles
Nuptarum indere me choros,
Et jam me stimulat fax pia conjugis.
O dulcedinis intimæ
Quam, Tu SPONSE, meo pectore concitas!
O pro te quoq; amabile
Objectura caput, si libeat, neci!
Totum muneris hoc tui est,
Quòd me lingva vocat prætereuntium
CUNRADI sociam tori.
Quòd te ardenter amo, nam redamor, tuũ est.

Adamus Pripadlovius Bicin.

LXXIV.

LXXIV.

NUPTIIS JOAN. RHEDENI & ANNÆ CLODWIGIÆ. Sponsus ad Cupidinem.

Cui tu, Sæve puer, semel
Ardenti jaculo pectora foderis:
Illum non medicus labor
Sanum restituet; non sonitus lyræ
Plausus ducet in intimos
Tristatum; neq; vis Phœbica Daphnide
Ornatum Clariâ Virum,
Quòd se compositis exhilaret metris,
Ostendet jugo Hyantio.
Sed, quæ bina, Venus, corcula conjugat,
Optatæq; tori faces,
Servabunt valido robore præditum.
STRELÆ jaspidis urbium
Detrectat suboles inter amatulos
Ægrum ponere me procos;
Diro jamq; magis vulnere torqueor.
O stridentis arundinis
Flammantem qui aciem, Præpes amor, regis!
O matris quoq; Cypridis
Transfossure calens, si libeat, jecur!
Totum missilis hoc tui est,
Quòd votis cupio pharmaca mollibus
Crudis saucius ictibus:
Quòd pallesco, & amo, (namq; amo) id est tuũ.

Johannes Blaufus Monsterb.

LXXV.

LXXV.

JOAN. RHEDERUS SPONSUS AD ANNAM CLODWIGIAM SPONSAM.

QVem tu, SPONSA Nitens, semel
Aegrum blandidulo lumine videris,
Illum non vehemens dolor
Franget molliculum; non furor intimus
Castis ponet ab ignibus
Sejunctum; neq; plaga aspera cuspide
Percussum Idaliâ procum,
Quòd tedæ ancipitem non teneat moram,
Lassabit querimoniis.
Sed, quæ forma faces suscitat igneas,
Et dotes animi sacræ;
Addent legitimum mox tibi conjugem.
MONSTERBERGA Silesidos
Dignatur vetus urbs inter amatulum
Ultrò ponere me gregem:
Diro jamq; minùs vulnere torqueor.
O optabilis horula
Quæ disiderium, Sponsa, redintegras!
O gratis quoq; pharmacis
Sanatura meum, si libeat, jecur!
Totum gratiæ id est tuæ,
Quòd sistor validi roboris augmine
Sperati cupidus tori:
Quòd servor; quòd amor, (nam redamas) tuũ est.

Johannes Blaufus Monsterb.

LXXVI.

CHRISTIANA TILESIA.D.D. CASP.CUNRADI CONJUX PUERPERA AD LUCINAM.

Quam tu, JUNO potens, semel
Prægnantem Jovio pollice juveris,
Illam non labor anxius
Præstabit gravidam; non tenerum embryon
Duro urgebit abortio
Matricem; neq; nex invida sarcinis
Exemtam gravibus nurum,
Quòd prolis vegetum reddiderit caput,
Includet gelidæ scrobi.
Sed qui Patris amor, CHRISTIAS, est satus,
Et pulcræ sobolis comæ,
Scribent prolifero corpore nobilem.
BRESLÆ principis Urbium
Dignatur soboles inter amabiles
Matrum ponere me choros:
Et jam prole magis clareo prosatâ.
O propaginis uberis
Vivos quæ Genios, Juno Dea, excipis!
O saxis quoq; grandibus
Exauctura uteri, si libeat, satum!
Totum hoc auxilij tui est,
Quòd jungor numero parturientium.
CHRISTIANI genitrix mei:
Quòd vivo & pario, ceu pario, tuum est.

Balth. Exnerus de Hirschberga. P. C.

LXVIII.

MARIÆ WINCKLERIANÆ ZIMMERMANNIÆ 4. Eid. Jan. Ao. 1600. exſtinctæ in pago Reichaw.

Quam tu, Sancta TRIAS, choro
Dignandam ſuperûm provida noveris;
Illi non amor anxius
Dilectam in ſobolem, ſuavia pignora,
Non ardor Patris incluti,
Nec deſiderium Conjugis optimi
Vitæ tempora prorogat.
Non ſi tàm proba ſit, quàm queat optimè.
Omnes fata manent ſua,
Et mors falce metens corpora morbida
Novit parcere nemini
Quamtumcunq; bono. Me tamen hoc juvat,
CHRISTI munere quòd natus
Inter cœlicolas ponar amabilis,
Et jam terrigenis procul
Mundi dente minùs mordeor invido.
O mors, grata mihi quies,
Quæ me cordoliis omnibus eximis!
O cunctos quoq; poſteros
Donatura pari, quem teneo, ſtatu!
Totum muneris hoc tui eſt,
Quòd Divûm Ambroſiâ & Nectare perfruar
Menſæ Civis Olympicæ;
Quòd cœlo potior, ceu potior, tuum eſt.

M. Melchior Tileſius.

LXXIX.

LXXIX.

AD NOMEN JUVENIS FLORENTIS, ZACHARIÆ VAL. F. HERBERGERI.

QVem non immemorem tui
Rex Regum memori pectore foverit;
Illum non benedictio
Cæles destituet; non odium Orcinum
Dextra surripiet tuâ
Signatum: neq; vis ingenita luis,
Damnatum stygio rogo,
Quòd vitæ vitijs exciderit Libro,
Atra prostituet notâ,
Sed, quas, CHRISTE, tui sangvinis elicit
Sanctas Passio guttulas,
Scribent ætheriis mœnibus incolam.
JESUS, COR tuum, Amor meus
Ardet, ZACHARIA, te sibi complicem
Hoc adsciscere calculo.
Et jam calle magis Pierio fovet.
O commercia Olympica,
Quæ cor hoc faciant HOSPITIUM Dei!
O lasso quoq; pollici
Dictatum novis Sostra melidriis!
Totum hoc, Alma Trias, tuum,
Nomen quòd memori fronte DEI gero,
Cœlestis Solymæ indiges;
Nostri quòd memor es, nosq; tui, tuum est.

Joan. Timæus. P.L.

LXXX.

Ad Virtutem.

Quem, VIRTUTIS amor, semel
Natum sanctifico móveris impetu:
Illum non Bromij latex
Turpabit bibulum: non manus indiga
Ductu duces in improbo
Devictum: nec opum copia, murice
Fulgentem Tyrio virum,
Quòd dona auricrepi possideat Tagi,
Divorum eripiet tribu.
Sed qui sacra, Animi, mystica dictitant,
Et celsi Sophiæ duces
Dicent unanimi psalmate cœlitem.
Virtus ævica Numinis
Adsestrix, nitidis me quoq; cœlitus
Collustra radiis tuis:
Et sic delicijs non trahar invidis.
O Claroris adoriam
Tu quæ magnificam, Diva, redintegras!
O cunctis quoq; mentibus
Porrectura tuum, si libeat, decus!
Totum lampadis hoc tuæ est,
Quòd sector reprobo demtus, agemate
Callem gnaviter entheum:
Quòd vivo, & benè ago, (fac benè agam!) tuũ est.

Johannes Heermannus P. L. C.

LXXXI.

LXXXI.

IN TLEMOSTNEN.

QVem tu, TLEMOSYNE, ſemel
Triſtantem cruce, Solamine mulſeris,
Illum non hera lubrica
Urgebit miſerum; non dolor anxius
Mentem reijciet Deo
Labantem neq; vis infera fraudibus
Aggreſſum varijs Virum,
Quòd ſortis patiens non fuerit malæ,
Invadet cruciatibus.
Sed quæ cuncta tibi robore ſubijcis,
Et præclara tropæa fers
Conſtantem facies vincere me malum.
Virtutis favor illius
Dignatur celebrem me ſupero ſuo
Victorem addere cœtui;
Et nunc vim ambiguæ, non metuo Deæ,
O virtus ſuperi Patris,
Fortunæ citò quæ nubila diſjicis.
O multis cruce homunculis
Donature tuum nobile vincere!
Totum muneris hoc tui eſt,
Quòd tollor grege nunc impatientium
Invicti ſocios gregis:
Quòd victor ſupero, ſi patior, tuum eſt.

Godefridus Wiedermanus VratisL.

LXXXII.

IN SOBRIETATEM.

QVem tu, SOBRIETAS, semel
Auctum mellifluo munere cœperis;
Illum non fera edacitas
Torquebit saturum; non epulum ebrium
Spumante excipiet mero
Potorem; neq; vis Bacchica passibus
Nutantem ambiguis virum
Quòd fratres socijs concierit cadis,
Dementabit amoribus.
Sed; qui quamq; modus rem benè temperat,
Et mensæ tenuis dapes,
Reddent incolumi corpore præditum.
Unde Castalidum sacra
Audent delitiæ grato Heliconij
Collis condere me specu:
Et nunc fauce minùs torreor aridâ.
O præstantia Olympica
Consortem qui animum, DIVA, resuscitas!
O ipsis etiam feris
Donatura animi, si liceat, jubar!
Totum muneris hoc tui est,
Quòd doctis polior Pieridum artibus
Præcepti docilis sacri:
Quòd vivo, & valeo, ceu valeo, tuum est.

Johannes Blaufus Monsterb.

LXXXIII.

LXXXIII.

IN EBRIETATEM.

QVem tu, ô Ebrietas, semel
Potantem furiis Bacchi agitaveris:
Illum non vigor ingenI
Clarabit vegetum; non labor arduus
Virtute evehet inclutâ
Præstantem; neq; Respublica honoribus
Ornatum egregiis virum
Quòd veris patriæ provideat bonis,
Junget consiliantibus.
Sed, quæ parca Fames fercula despicit,
Et blandi liquor Euhyi,
Fingent turpifico crimine futilem,
Vivax Sophrosynes amor
Dignatur Clario Bellerophontidis,
Unde admittere me vado:
Et nunc ora minùs proluo Cæcubo.
O hydropisis horridæ
Pestem quæ tumidam, Crapula, procreas!
O brutis quoq; belluis
Effectum homines, si libeat, pares!
Totum fraudis id est tuæ,
Quòd perdit nimiis vim cerebri haustibus
Sanæ mentis inops bibo:
Quòd languet podagrâ, quodq; perit, tuum est.

Johannes Blaufus Monsterb.

LXXXIV.

AD BACCHUM.

*Q*Vem tu, Bacche Pater, semel
Infrenem viridi palmite cinxeris;
Illum non roseus pudor
Perfundet rubidum; non amor artium,
Clara augebit adorea
Insignem; pia nec mens venerabili
Parentem imperio DEI,
Quòd legis rigidas posthabeat minas,
Addet cœlituum gregi.
Sed, quòd sana merum pectora fascinat,
Turpisq; Evhyadum furor
Evertent avidis haustibus ebrium.
Cultus Numinis astrici
Gestit me studium de socialibus
Fratrum demere poculis;
Et nunc angue magis vito gulam truce.
O moliminis improbi
Quodvis qui facinus, Vitisator, struis!
O sævæ quoq; Pardali
Illaturę gravem, si libeat, necem!
Totum muneris hoc tui est,
Quòd flagrat vitio multa bibentium;
Germanæ populus plagæ:
Quòd fatis quatitur, quodq; gemit, tuum est.

Johannes Blausus Monsterberg.

LXXXV.

LXXXV.

In Podagram.

QVem tu, sæve dolor, semel
Correptum Podagræ sub juga traxeris;
Illum non thyasus levem
Clarabit choreis; non equus unico
Insultu excipiet solo
Armatum, neq; Lex Julia, D I S bonis
Si perstet, temerario
Munus Mercurij quòd petat ambitu,
Damnabit vetiti reum.
Sed qui debilibus confluit artubus
Humor, cum cruciatibus,
Affigent miseri membra grabatulo.
Romæ principis Urbium
Dignator proceres inter obesulos.
Molli ponere te toro;
Et jam fortè minùs torqueor anxiè.
O quæ scilicet in tuos
Confers divitias, quos mala possides!
O Regni quoq; Persici,
Exhaustura priùs, Mygdoniasq; opes!
Totum sævitiæ hoc tuæ est,
Quòd jamjam vocitor prætereuntibus
Nodosum silicernium,
Quòd nuto tremulus, quodq; egeo, tuum est.

Christophorus à Staudenhertz.

LXXXVI.

In Lydiam.

Quem tu, LYDIA, vel semel
Perstringes Sybarim lumine noxio,
Illum non furor improbus
Servabit vegetum; non decus integræ
Famæ ducet in ardua
Virtutis, neq; res curta domestica,
Ornatum modico lare,
Quòd rem perdiderit, ganeo, turpiter,
Aequabit popularibus.
Sed qua scabra lues corpore diffluit,
Et missæ novies comæ,
Fingent horrifico crimine nobilem.
Romæ principis Urbium.
Optassent equites antea principe
Turmæ ponere cum loco:
Jamq; armis gereret livida brachia.
O Circeïa pocula
Sirenumq; sonos, Lydia, temperans!
O Virgâ quoq; Ulyssei
Permulsum Ducis, ni renuat, caput!
Totum nequitiæ hoc tuæ est,
Quòd sordet Sybaris prætereuntibus
Terræ pondus inutile,
Quòd torpet, latitat, friget, egetq; tuum est.

Christophorus à Staudenhertz.

LXXXVII.

LXXXVII.

IN LICENTIAM LASCIVAM.

QVem tu-cumq; Licentia,
Pigrum purpurea fronte fefelleris;
Illum non data munia
Urgebunt vigilem; non studium æmulum
Celsis tollet honoribus
Sollertem; neq; lex aspera debito
Intentum officio, gravis
Quòd pœna horrificas defugiat minas,
Secernet petulantibus.
Sed, quæ luxuries pernitiem parit,
Et torpedo animi procax,
Reddent flagitia in turpia labilem
Mentis candida simplicis
Lætatur gravitas legitimi meæ
Partis sumere me vices:
Ultrà jamq; minùs mî licitum moror.
O morum juvenilium
Pulcram quæ speciem, pessima, conspuis!
O sævorum animalium
Incursura odium, si sapiant, atrox!
Totum nequitiæ est tuæ,
Quòd turpi maculat se scelerum lue
Lascivi assecla gaudij:
Quòd vult illicitum, ac nil metuit, tuum est.

Johannes Blaufus Monsterb.

LXXXVIII.

IN AUTHADIEN STUDIORUM PESTEM.

QVem, vana Authadie, semel
Discentem nebulæ folle repleveris;
Illum non vegeta indoles
Propellet docilem: non Latiâ Sais
Gaza augebit & Atticâ
Sollertem: neq; Respublica debitis
Præcultum studiis Sophum,
Quòd commune aliquâ fors operâ juvet,
Muneris præficiet suis.
Sed quæ grandè rudis Doxa Sophos crepat,
Ignotæq; odium fidis
Prodent Arcadicis auriculis Midam.
Crebra insania Classium
Prægestit temerè, quicquid agas, huic
Culpæ occumbere pestili,
Et jam ordo in studiis vapulat aptior.
O pigredinis infimæ
Plumas quæ resides, Authadie, colis!
O stulto quoq; Marsyæ
Persvasura lyræ dulcisonos modos!
Totum audaciæ id est tuæ
Qvòd pubes levium in fune Sophismatum
Vim ponit Sapientiæ.
Qvòd mente, ore rudis se deamat, tuum est.

Mel. Laubanus.

LXXXIX.

LXXXIX.

In Philautiam.

Quem tu, stulta Philautia,
Persvasum phalerato ordine vexeris,
Illum non pia veritas
Optabit comitem: non decor Ethicus
Sella cernet in aulicâ
Præfectum: neq; res bellica Martiis
Præcinctum galeis Ducem,
Quòd Turci validos depulerit greges,
Ostendet procerum choro.
Sed qui pectus amor infatuat sui,
Et fucus cerebri levis,
Reddent insipido pectore fumidum.
VERI principis aurium
Gaudet simplicitas inter Athlanticos
Laudis ponere me viros:
Et jam mente minùs fumigo turgidâ.
O prudentiæ Olympicæ
Dulces quæ latices, Mens bona, dividis!
O bardæ quoq; Moriæ
Adfusum bonos, si libeat, poros!
Totum judicij hoc tui est,
Quòd ponor solio recta-docentium.
Prudentis favitor Geni:
Quòd scribo, & sapio, seu sapio, tuum est.

Balth. Exnerus de Hirschberga P. C.

XC.

XC.

IN MOROSITATEM.

Cui, morosa Severitas,
Jam frontem tetricam tu caperaveris,
Haut illi faciet satis
Romani eloquii gloria, Tullius:
Non publI, joca, Caesari
Grati, mollierint marmora pectoris;
Nec vincet rigidum caput,
Brutis fulminibus quòd tumeat minax,
Victrix Orphea barbitos.
Sed, quâ decipitur, stulta philautia,
Et fastus stolidus vehent,
Humanis procul à conditionibus.
Cordata Sophies chorus
Dudum me docuit spernere turgida
Hirsuti ora supercilI;
Larvâ jamq; minùs commoveor truci.
O quae, si libeat loqui,
Effundis stomachi nil nisi taedia!
O ipsas quoq; Gratias
Incessure canum, si ad te adeant, sono!
Hoc totum vitij tui est,
Quòd monstrat digitus praetereuntium.
Te invisum caput omnibus;
Quòdq; audis, cupias quae minus, id tuum.

Christophorus à Staudenhertz.

XCI.

XCI.

IN SEGNITIEM.

QVem tu, Segnities, semel
Vecordem requie desidefoveris:
Illum haut pulvis Olympicus
Clarabit volucrem; Martia non manus
Armis induet areis
Bellacem, neq; res Musica Hyantii
Auctum divitiis jugi,
Quòd labra Aonio proluerit lacu,
Sejunget populo rudi.
Sed, qui pectora Amor cuspide verberat,
Et demens Semeles puer,
Fingent terribili crimine noxium.
JOVÆ numinis ævici
Lætatur bonitas cuncta laboribus
Terræ vendere civibus;
Et nunc mole minùs prægravor arduâ.
O quæ nominis incluti
Obscurâ nebulâ lumen, iners, tegis!
O vires etiam bonas
Corruptura boni, si libeat, genI!
Hoc totum vitij est tui
Quòd telo impetitur Regis Avernici
Turpi marcidus ocio
Quòd discit malè, cùm nil agit, hoc tuum est.

Johannes Blaufus Monsterberg.

XCII.

XCI.

IN SEGNITIEM.

QVem tu, Segnities, ſemel
Vecordem requie deſide foveris:
Illum haut pulvis Olympicus
Clarabit volucrem; Martia non manus
Armis induet æreis
Bellacem, neq; res Muſica Hyantii
Auctum divitiis jugi,
Quòd labra Aonio proluerit lacu,
Sejunget populo rudi.
Sed, qui pectora Amor cuſpide verberat,
Et demens Semeles puer,
Fingent terribili crimine noxium.
JOVÆ numinis ævici
Lætatur bonitas cuncta laboribus
Terræ vendere civibus;
Et nunc mole minùs prægravor arduâ.
O quæ nominis incluti
Obſcurâ nebulâ lumen, iners, tegis!
O vires etiam bonas
Corruptura boni, ſi libeat, genI!
Hoc totum vitij eſt tui
Quòd telo impetitur Regis Avernici
Turpi marcidus ocio
Quòd diſcit malè, cùm nil agit, hoc tuum eſt.

Johannes Blaufus Monſterberg.

XCII.

XCII.

IN PAUPERTATEM.

QVem Tu, Pauperies, semel
Oppressum implacido lumine videris;
Illum non favor aulicus
Clarabit juvenem: non eqvus Hungarus
Curru ducet in aureo
Victorem: neq; jus nobile publicis
Ornatum strophiis virum,
Qvòd legum dubias reppererit vias,
Adjunget sapientibus.
Sed quæ corda fames paupera conficit,
Et rari Larium foci,
Arctabunt tenui corpore debilem.
Teschini Ducis inclyti
Dignatur bonitas inter Hiantios
Aulæ ponere me viros.
Et jam forte magis splendeo divite.
O nutriminis annui
Esum qui dapicum, mi DEUS, exhibes!
O corvis quoq; parvulis
Admissure cibi, cùm libeat, satis!
Totum muneris hoc tui est,
Qvòd vescor dapibus PRINCIPIS Elysi,
Teschini quota pars throni,
Qvòd poto, & comedo, cùm comedo, tuum est.

Balth. Exnerus de Hirschb. P. C.

XCIII.

XCIII.

Compendia Aulica.

Quem tu, dum Necessitas,
Aulæ constitues culmine lubrico,
Illum simplicitas pia
Non sistet stabilem; non labor impiger
Clarabit titulis: FIDE
PERSPECTUM; neq; spes credula præmiis
Ornatum solidis Ducum,
Quòd donis tumidas rettulerit manus,
Augebit patrimonio.
Sed cedit meritis quæ mala gratia,
Et lingvæ bifidæ doli,
Diffingent maculis turpiter inscium.
Umbræ deditus aulicæ
Sors quamvis misera tristis iniquiùs
Offundat nebulas mihi,
Spurco dente tamen mordeor æmulis.
O vis dira Necessitas,
Fortunæ strepitum quæ malè temperas!
O genti quoq; nobili
Injectura jugum, cùm libet, aureum!
Totum sævitiæ hoc tuæ est,
Quòd me fex populi sibilat infima,
Aulæ mancipium vetus,
Ast hæc quòd placidâ mente fero, DEI est.

Christophorus à Staudenhertz.

XCIV.

XCIV.

In Luxuriem.

Qvem Tu, Luxuries, scelus
Pascentem placido crimine viceris,
Illum non labor arduus
Sanabit docilem, non gravis entheo
Suasu ducet Apostolus
Ad frugem, neq; res Biblica moribus
Ornatum niveis Virum,
Quòd Ditis rabidas contuderit strophas,
Adscribet choro Olympio.
Sed quæ sulfur aquæ cum pice perfluunt,
Et spissæ lemurum faces,
Stringent horrifico verbere flebilem.
Luxu, Principe Erinnyum
Conatur Satanas, inter asoticos
Ventrum ponere nos greges,
Et jam fine magis ringitur ultimo.
O vertiginis ebriæ
Putrem quæ crepitum, Bestia, procreas!
O sanctis quoq; civibus
Ablatura DEI, si liceat, domum!
Totum vulneris hoc tui est,
Quòd monstro inficitur tot pereuntium
Germanæ illuvies notæ,
Quòd vito & caveo, si paveo, pium est.

Christophorus Lindnerus
Pastor in Saltzborn.

XCV.

XCV.

AD DN. JOANNEM SPECHTIUM.

QVem tu, SPECHTIADE, ſemel
Admiſſum placido conſilio juvas,
Illum non furor hoſticus
Inceſſit temerè: non petulantia
Atrox Cauſſidici premit
Certantem: neq; ſors ſæva laboribus
Diſtrictum rigidiſſimis,
Quòd crebro ſoleat viſere te pede,
Adceſſu prohibet tuo.
Sed quæ Juris opus cautio ventilat,
Et culti THEMIDIS Duces
Defendunt, fidei robore, proſperum
SPECHTII plena favoribus
Dignatur pietas in referentium
Semet, ponere me choros:
Hinc curis ut ovans ſolvar inanibus.
Non exoſe Vir ô Bonos,
Non exoſe Bonis; quàm meritos juvas!
O cuivis etiam probo
Qui largiris opem, ne trepidet, tuam!
Totum muneris eſt tui,
Quòd ſcribo calamis te variantibus
Muſarum ſtabilem baſin,
Quòd ſcribam numeris pluribus, eſt tuum.

Chriſtophorus Cochius Naumburg.

XCVI.

AD DN. JACOBUM MONAVIUM.

QVem tu, MONAIDE, semel
Discentem placido lumine videris;
Illum non dolor anxius
Lassabit miserum: non timor asperæ
Fortunæ premet uspiam
Incautum: neq; plebs (plebs rudis artium)
Hærentem studiis suis,
Quòd non, quod didicit, continuaverit,
Ridebit miseris modis:
Sed doctorum hominum fammiliaritas,
Et vel litterula unica
Præstanti efficient munere maximum.
Breslæ principis Urbium
Fecisti, SOBOLES, inter amabiles
Doctum vivere me choros:
Et jam perplacet hæc vita Academica.
O doctorum hominum decus,
Patronus miserarum unicus artium!
O porrò studium meum
Juture (allubeat si modò) verbulo!
Quanquam muneris hoc tui est,
Quòd nunc hisce locis vivo Academicis,
Doctæ Calliopes comes,
Quòd disco & scio quid, si scio quid, tuum est.

Henricus Mylpfort, Med. D.

XCVII.

XCVII.

AD DN. ADAMUM CURÆUM J. U. D.

QVem CURÆIADE semel,
Vatem munifico pectore vexeris;
Illum non dica Mævij
Tardabit vigilem: non temerario
Momus proteret impetu
Surgentem, neq; sors flebilis aneis
Constrictum malè vinculis,
Quòd non æquiparet se rudium gregi,
Tradet solicitudini.
Sed desiderij cura viros tui
In Musis modò deditos
Sustentat, celebri carmine turgidum.
CURÆI peramabilis
Dignatur bonitas me quoq; gratiâ
Adfecisse sat agnitâ,
Quam nunc gratiloquo prædico murmure.
O dom memorabilis
Ritum qui solitum, Vir gravis, integras!
O doctis pariter Viris
Indulture tuam, quam rogitant, opem!
Est totum placiti tui,
Quòd te canto sonis lene-fluentibus
Musarum famulus novem,
Quòd cantus repetam sæpiùs, est tuum.

Chrostophorus Cochius Naumburg.

XCVIII.

AD DN. FRIDERICUM CLOSIUM. U. J. D.

Cujus, CLOSIADE, semel
Caussam compositâ voce tueberis,
Illum non dica Judicis
Damnabit properans: non fremitus virûm
Vincet judicio truci
Prostratum: neq; res lubrica casibus
Haerentem liquidis minùs,
Quamvis hostis biet quiq; feroculus,
Multa subjiciet gravi.
Sed qua cura reos cladibus eripit,
Et fulgens ARETES nitor,
Servant judicij tormine liberam.
Prudentes Sophiae Duces
Noverunt miseros, inter ovantium
Coetûs transdere, candidos:
Ut non subjaceant amplius invido.
O sermonis adoriam
Qui, CLOSI, lepidis vocibus exprimis!
O vel jam ferè perditis
Servature suum, ne peritent, decus!
Est sermonis & hoc tui,
Quòd notes digito praetereuntium.
Defensor trepidi Pei,
Quòd te fama manet, quòd decus, est tuum.

Christophorus Cochius Naumburg.

XCIX.

XCIX.

Super obitu
VIRGINIS ROSINÆ TILESIANÆ, Sororis desideratissimæ, denatæ 27. Julij. 1613.

QUam Tu, Sponse Deus, semel
Mundatam roseo sangvine amaveris;
Illam non hominum favor
Spondebit teneram, non Stygius furor
Morbo deteret anxio
Desponsam, neq; plebs civica Rosulam
Florentem lacrumis suis,
Quòd mortæ tetricas pertulerit minas,
Tramittet tenebræ soli.
Sed, qui dius amor cœlitus influit,
Et sancti Paranymphuli
Sistent ætherio corpore floridam.
Sponsi principis omnium
Dignatur socia en, inter amabilem
Cœli jungere me gregem:
Et jam flore magis gaudeo nobili.
O bellatule ocellule
Sacro qui tibi me fœdere glutinas!
O charis quoq; fratribus
Monstrature poli, cùm cupiant, rosam!
Totum muneris hoc tui est,
Quòd dicor Domino Sponsula amabilis,
Cœlestis tilia hortuli,
Quòd cresco, & vireo, nam vireo, tuum est.

Christianus Tilesius Olaviâ-Silesius.

C.

AD M. NATHANAELEM TILESIUM P. L. C.

Parodiarum Centuriam adornantem.

QUam tu CENTURIAM paras
Vulgandam, DEI honor clare, parodicam;
Illam non Sycophanticus
Arrodet stimulus; propudium soli
Non turpabit ineptiter
Confusam; neq; mens tincta lapillulo
Nigro illam violaverit.
Quòd laudem DOMINI jugiter explicet,
Umbris infernt Orceis.
Sed quæ GRATIÆ amant tàm pium opus, manu
Collectum studiis datâ
Æterno referent nomine posteris.
Præses Pierij Chori
Dignatur melicis te dare Oloribus
Lauru Cæsariâ inclutum,
Atq; hinc dente minùs roderis invido.
O Vates DEI agens opus,
Dum pubi Aoniæ commodè adesse ovas!
Inculio ô quoq; pectori
Monstrature viam ad metra parodica!
Concernet decus hoc tui
O TILESIADE nominis entheum,
Seclis perpetuantibus,
Matures ut opus CHRISTI ope, id est tuum.

Johannes Keppichius. P. L. C.

Index harum Parodiarum.

A.

Adamus Pripadlovius Bicinen.

1. *Domini est Salus, Symb. Casparis Cunradi.* 33
2. *Christiana Tilesia Sponsa ad Casparum Cunradum Sponsum.* 73

Adamus Theodorus Siberus Profeſſ. Viteberg.

1. *Ad Jesum Christum Sospitatorem.* 11

Albertus Voitus Profeſſ. Poëticæ Viteberg.

1. *Ad Eberhardum à Weihe.* 60

B.

Baltaſar Exnerus de Hirſchberga P. C.

1. *Ad Christum de Resurrectione carnis.* 18
2. *Ad Themiden.* 49
3. *De Captivitate Turcica.* 69
4. *Christiana Tilesia puerpera.* 77
5. *In Philavtiam.* 89
6. *Ad Paupertatem.* 93

Bartholomæus Benhius Paſtor Namslav.

1. *Ad Deum Patrem.* 8

C.

Caſpar Cunradus. D.

1. *Ferendo Vinco scitum Danielis Bucretij* 30
2. *Novit Deus, qui sint sui. Symb. M. Mel. Tilesij* 33

3. *Domini est salus Symb. Autoris.* 34
4. *Christi acquiesco sacrificio Symb. Christophori à Staudenhertz* 35
5. *Contra Spem in Spem Symbol. M. Nathanaëlis Tilesii* 40
6. *Ad Musicam.* 53
7. *Henricus Scultetus iter ingressurus* παρῳδῶν 66

Christophorus Cochius Naumburg.

1. *Ad Dn. Joan. Spechtium.* 95
2. *Ad Dn. Adam. Curaum.* 97
3. *Ad Dn. Frider. Closium.* 98

Christophorus à Staudenhertz de Cremnitz.

1. *Hominis pii vita & felicitas ex Psalmo 1.* 22
2. *Filius prodigus ad Patrem.* 25
3. *Ferendo vinco. Symb. Dan. Bucret.* 29
4. *Domini est Salus Symb. Casp. Cunradi.* 32
5. *Christi acquiesco Sacrificio. Symb. autoris.* 36
6. *Contra Spem in Spem Symb. M. Nathan. Tiles.* 39
7. *Ad Logicen P. Rami.* 52
8. *Ex Orpheo Cassij Parmensis.* 55
9. *De Arione Methymnao.* 56
10. *Ad Apollinem.* 57
11. *Ad Horatium.* 58
12. *Ver anni nobilissimum.* 67
13. *In Lydiam.* 86
14. *In Morositatem.* 90
15. *Compendia aulica.* 93

Christo-

Christophorus Lindnerus
Pastor in Saltzborn.
1. *Ad luxuriem.* 94
Christianus Tilesius Olaviâ-Siles.
1. *Super obitu virg. Rosinæ Tilesianæ sororis.* 99
D.
Daniel Vechnerus Aurimontanus.
1. *De eluvione Catti.* 68
2. *Eroticon.* 76
F.
Fridericus Jenchius Suebus.
1. *Deus gaudium suggerit singulis. Symb. Davidis Georgij scabini Suebus.* 44
G.
Georgius Fabricius P. L. C.
1. *Ad Angelos.* 27
Godefridus Wiedermannus
VratisL.
1. *Ad Tlemosynen* 81
H.
Henricus Mylpfort. D.
1. *Ad Dn. Jacobum Monavium.* 96
I.
Jacobus Guntherus Med. NamsL.
1. *Ad Dn. Casp. Cunradum de stella Veneris in M. C. nativitatis ipsius principali Magisterii significatrice.* 63

INDEX.

Johannes Blaufus Monsterberg.

1. *Ad Deum Patrem.* 10
2. *Ad Christum Immanuelem.* 13
3. *Ad Christum Hierosolymam ingressum.* 14
4. *Ad Christum crucifixum.* 15
5. *Ad Diabolum tentatorem.* 16
6. *Ad Christum Diaboli victorem.* 17
7. *Ad Christum de Resurrectione carnis.* 18
8. *Ad Ecclesiam.* 20
9. *Ecclesia ad Christum.* 21
10. *Ad Deum ex Psalmo 1.* 23
11. *Ad Deum ex Psalmo 91.* 24
12. *Filius prodigus ad Patrem.* 26
13. *Ad Deum pro artibus liberalibus.* 48
14. *Ad Musicam.* 54
15. *Ad Dn. Casp. Cunrad.* 64
16. *Nuptijs Joh. Rhederi.* 74
17. *Johan: Rhederus sponsus ad sponsam.* 75
18. *Ad Sobrietatem.* 82
19. *Ad Ebrietatem.* 83
20. *Ad Bacchum.* 84
21. *In licentiam lascivam.* 87
22. *In segnitiem.* 91

Johannes Brachmannus.

1. *Memento novissimorum, Symb. D. Joan. Breithoris.* 36
2. *Quid ago? Symb. Flamminij Gastonis.* 41

3. Jehova

3. *Jehova fortitudo mea. Symb. Jacobi Guntheri.* 42

Johannes Breithor.

1. *Ad mortem.* 27

Johannes Heermannus P. L. C.

1. *Fiat tua Christe Voluntas. Symb. Johannis Brachmanni.* 38
2. *Me Christi vulnera sanant. Symb. Balthasaris Nigrini* 43
3. *Ferendo vinco. Symb. Dan. Bucretij* 45
4. *Domini est Salus, Symb. D. Caspparis Cunradi.* 46
5. *Ad Dn. M. Jacob. Schickfusium.* 65
6. *Ad virtutem.* 80

Johannes Hubnerus Not. NamsL.

1. *Ad Christum fontem vitæ.* 12

Johannes Keppichius.

1. *Ad Christum humani generis Mediatorem.* 47
2. *Ad meditrinam.* 50
3. *Ad Hippocratem.* 51
4. *Pro Dn. Melch. Eccardo Superatt. Olsnic.* 61
5. *Ad Olsnam.* 70
6. *Ad M. Nathan. Tilesium parodiarum Centuriam adornantem.* 100

Johannes Lindnerus.

1. *Ad Dei providentiam.* 7

Johannes Mollerus P. L.

1. *Ad Deum pro incolumitate D. Flaminij Gastonis.* 62

Johannes Timæus. P. L.

1. *Ad nomen Zachariæ Val. F. Herbergeri.* 79

M.

Melior Laubanus. P. L.

1. *Ad Dei misericordiam.* 5
2. *Ad Dei justiciam.* 6
3. *Ad Paulum Melissum pro Laurea Poëtica.* 59
4. *Secundis nuptijs M. Abrah. Sculteti* 71
5. *In Authadica studiorum Pestem.* 88

Melchior Tilesius.

1. *Ad M. Matth. Weintritt iterum Sponso.* 72
2. *Mariæ Winckleriana mortua.* 78

N.

Nathanaël Tilesius P. L.

1. *Dedicatoria ad Dan. Bucretium.* 1
2. *Ad Deum Patrem.* 2
3. *Ad Deum Filium.* 3
4. *Ad Deum Spiritum Sanctum.* 4

Nicolaus Bockshammer
Pastor Brausnic.

1. *De æterna felicitate.* 19

W.

Willichius Westhovius Cimber P. L.

1. *Ad Deum Patrem: ἀμοιβὴ pro restituta sanitate.* 9

FINIS.

L I P S I Æ,



TYPIS LAMBERGIANIS,

Excudebat Johann Glück.

ANNO

M. DC. XIV.